5. 6 2m II

Digitized by Google

Digitized by Google

VITÆ ITALORUM DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SÆCULO XVIII. FLORUERUNT.

DECAS II.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ROMÆ MDCCLXIX.

TYPIS S. MICHAELIS APUD JUNCHIUM.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Proſtant venales apud Natalem Barbiellini
in foro Paſquini.

PETRO LEOPOLDO

ARCHIDUCI AUSTRIAE

MAGNO DUCI ETRURIAE

PRINCIPI OPTIMO

LITTERARUM FAUTORI

PRAESENTISSIMO

ANGELUS FABRONIUS

PRIOR BASILICAE FLORENTINAE

S. LAURENTII

D. N. M. Q. E.

INDEX
VITARUM.

I.	*Joſephus Averanius*	pag. 1.
II.	*Bartholomæus Beccarius.*	pag. 45.
III.	*Hercules Franciſcus Dandinius.*	pag. 74.
IV.	*Janus Vincentius Gravina.*	pag. 107.
V.	*Laurentius Magalottus.*	pag. 166.
VI.	*Marcellus Malpighius.*	pag. 233.
VII.	*Gabriel Manfredius.*	pag. 270.
VIII.	*Joannes Baptiſta Morgagnius.*	pag. 287.
IX.	*Victorius Franciſcus Stancarius.*	pag. 335.
X.	*Ludovicus Sergardius.*	pag. 365.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dom. Jordani Patr. Antioch. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ord. Prædic.

ANTO-

ANTONIO NICOLINIO

ANGELUS FABRONIUS

S. D.

Si forte tibi videor diu multumque tenuiſſe ſuſpenſam expectationem, quam tibi dedi ſcribendæ vitæ Joſephi Averanii præceptoris tui, ſatis juſta excuſatio erit, quod ita diſtentus fuerim in perficiendis, edendiſque aliorum illuſtrium virorum vitis jampridem ſuſceptis, ut huic ſcriptioni minime tempus habuerim; quodque mihi Romæ commoranti multa deeſſent adjumenta ad illius hominis mores, factaque penitus cognoſcenda. Non mediocri profecto dolore afficiebar, cum videretur jure a me exigi, ut opus contexerem uſui præſertim illorum, qui parabant Urbanam editionem non ſolum Inter-

pretationum juris, *ſed aliarum quoque rerum, quas Latine ſcripſit Averanius; verum uſque mihi temperavi dum Florentiam venirem, ut dignum aliquid & tanto viro, & expectatione hominum efficerem. Quod me conſecutum fuiſſe non auſim dicere. Id certe omni ſtudio, omnique diligentia curavi, cujus rei plurimos teſtes habeo, teque præſertim, ad cujus opem ſæpe confugi. Unde enim facilius res Averanii cognoſci poſſunt quam ex te, qui ejus diſciplinæ alumnus fuiſti, qui totum illud tempus, quo Piſis ſtudiorum cauſſa commoratus es, ejus jucundiſſimæ convictionis fructum percepiſti, qui omnia pene cum ipſo habueris communia, qui vivum omni officiorum genere coluiſti, qui morienti adfuiſti, mortuum vero & laudatione, & ſepulcri monumento decoraſti? Non ſemel a te audivi, tam gravi vulnere in ejus interitu perculſum te fuiſſe, ut ferme jacueris exanimatus; nunc vero recordatione præteritæ conſuetudinis ſic frui, ut beate vixiſſe tibi videaris, quia cum Averanio vixeris. Neque id immerito. Non mediocrem enim partem ex ejus laudibus exhauſiſti, atque in te transfudiſti, quod ut aſſequere-*

querere, non magnopere quidem illi viro elaborandum fuit: neminem enim habebat clariorem, quem tibi proponeret, quam te ipſum: te imitari, tecum ipſe certare oportere dicebat, neque licere, tanta expectatione vel a teneris annis excitata, non tui ſimilem eſſe. Sed nolo plura de te. Sunt enim ampliſſimis theatris omnia tua propoſita, cum ferme nulla Europæ regio ſit, quam non peragraveris, & apud quam vivam animi, ingeniique tui effigiem non reliqueris. Illud ſupereſt unum, ut a te ſumme flagitem, ut omnia in hoc commentariolo contenta, ſive illa res, ſive verba ſpectent, diligentiſſime expendas; quæ vero minus recta ſunt corrigas; & quarum rerum ſpe ad opus hoc me vocaſti, harum fructu ad alia ſuſcipienda facias alacriorem. Cura ut valeas.

Florentiæ Non. Octobr. MDCCLXVII.

JOSEPHUS AVERANIUS filius Joannis Franciſci Averanii, & Margaritæ Sacchettiniæ Florentiæ natus eſt XIII. Kal. April. an. a Chriſto nato MDCLXII. honeſta quidem familia, cui contigit, ut tanquam in unam arborem plura genera, ſic in illam multorum eſſet inſita, atque illuminata ſapientia. Nam eodem, quo diximus, patre erant geniti Benedictus, & Nicolaus Averanii, quorum alter magnopere floruit eloquentia, omnique cum Græca, tum Latina eruditione, alter Juris prudentia, & Mathematicis diſciplinis adeo excelluit, ut inter primos numeraretur. Fratrum vero gloriæ ſic reſpondit Joſephus, qui erat natu minimus, ut utrumque fama, doctrinaque ſuperaverit. Patre uſus eſt diligente, integro, & caſto, in primiſque ſtudioſo litterarum, a quo mature & ſaluberrimis præceptis, quæ ad recte, pieque vivendum pertinent, & Grammatica eruditus fuit. Idem a prima ætate ſpem attulit ſummi ingenii, & non vulgaris virtutis; grandiorque factus, cum ad Vincentium

tium Glaream hominem S. J., qui Florentiæ publice Rhetoricam docebat, ductus fuiſſet, clarius explenduit, quam generoſi condiſcipuli eum aſſequi poſſe ſperarent. Adjumenta quoque habuit ad litteras Græcas percipiendas ab Antonio Maria Salvinio; & brevi eo pervenit, ut ſive Italice, ſive Latine, ſive Græce ſcriberet, ejus oratio colorata, ac roborata appareret continua veterum ſcriptorum lectione. Nec ſolum illa ætate in Oratoria ſe exercuit, ſed etiam in Poetica, maximeque Latina, ad quam eum natura formaverat. Cum jam, quantum ſatis eſſe videbatur, in hac mitiorum litterarum aquula feliciter navigaſſet Joſephus, curſum ad graviores diſciplinas direxit, ac primo ad Peripateticam Philoſophiam penetravit, monſtrante viam Joanne Franciſco Vannio S. J., apud eamque ne diutius moraretur fecit libertatis, ac veritatis amor, cui nihil tam eſſe infenſum atque inimicum vidit, quam omnia ponere in unius hominis auctoritate. Retinuit tamen quaſdam ſententias Ariſtotelis, quas veroſimiliores eſſe putavit; ſemperque probavit, in Juris prudentia

præſertim, uſum Ariſtoteliæ diſputandi rationis, dolens hanc corruptam fuiſſe Scholaſticorum captionibus, ineptiſſimiſque argutiis. Ariſtoteli longe ſuperiorem ponebat ejus magiſtrum Platonem, quem unum totius Græciæ doctiſſimum, & quaſi quemdam Deum Philoſophorum fuiſſe dicebat. Itaque ejus libros aſſidue pervolutabat; neque iis contentus, quæcunque extant veterum Philoſophorum ſcripta penitus voluit cognoſcere. Memoriter etiam tenebat Epictetum, & Arianum, cum plurimum tribueret Stoicis in ea parte Philoſophiæ, quæ verſatur in virtute & moribus. Poſt autem, auctore Vincentio Viviano, adhibitoque doctore Joſepho de Papa, ad Mathematicas diſciplinas, & recentiorum Philoſophiam venit; quibus in ſtudiis, quanquam eſſet in alia diſtractus, tantos proceſſus paucis annis effecit, ut tota vita in illa incubuiſſe videretur. Sed ita ſunt maxima ingenia; quamcunque ſe in partem dederint, in ea ita excellunt, ut ſi nihil unquam aliud egerint. Sic cum Piſas ſe contuliſſet ad Juris prudentiam perdiſcendam, tam longe in hac facultate progreſ-

greſſus eſt, ut ipſi doctores Franciſcus Maria Ceſſinius, Petrus Paullus Borromeus, & Antonius Rillius eum in hoc maxime admirarentur, ponerentque principem ſtudioſorum. Habebat is quidem ad adipiſcendam juſti, injuſtique ſcientiam plurima inſtrumenta, antiquitatis notitiam, Philoſophiæ, ac præſertim moralis cognitionem, perfectam eruditionem Græcarum, & Latinarum litterarum, & judicium acre, ac certum ad unamquamque rem examinandam, momentiſque ſuis ponderandam. Quam vero eſſet vigilans, & induſtrius, nullum afferre majus teſtimonium poſſum, quam quod primo anno, quo Piſis fuit, ſubceſivis horis Archimedem, & commentaria Eutocii Aſcalonitæ in eumdem ſcriptorem e Græco in Latinum converterit. Dignum opus hoc ſtudiis eorum, qui litteris delectantur, exiſtimavit, quod Commendinius, qui in interpretando Archimede elaboraverat, rem non abſolviſſet, quodque Rivaltus, qui eamdem confecerat, multa peccaſſet, & Eutocium minime attigiſſet. Porro, ut eſt graviſſimum Antonii Mariæ Salvinii judicium, nihil fieri perfectius po-

teſt interpretatione Averanii, qui etiam multa addidit, atque attulit de ſuo ad explanandos, illuſtrandoſque libros, qui ſunt *de ſphæra & cylindro*, *de ſpiralibus*, *de ſphæroidibus*, *& conoidibus*, *& de quadratura parabolæ*. Illa quidem declarant præſtantem Auctoris ſcientiam in mathematicis facultatibus; nec minorem oſtendunt, quæ ipſe non poſt multo ſcripſit de *momentis corporum gravium in planis inclinatis*, ut Galilæum defenderet ab oppugnationibus Joannis Franciſci Vannii S. J., quem habuiſſe præceptorem ſupra retulimus. Scriptum profecto edidiſſet Joſephus pro ſuo ſingulari ſtudio in illum Philoſophum, niſi Ægidius Franciſcus Gottigneſius doctus vir ex eadem Societate eum in hac defenſione antevertiſſet. Exaravit etiam neſcio quædam de Apollonio Pergæo, credo, ut ſuis luminibus obſcura multa illius mathematici illuminaret. Nimis vero longus eſſem, ſi ſingula enarrare vellem, quæ in tractanda phyſica & fecit, & ſcripſit. Nullum enim ferme diem abire ſinebat, quin aliquid temporis concederet conſiderationi, contemplationique naturæ, in quo illius animus, præ-

ſer-

ſertim ſi aliquid occurreret, quod antea non bene cognitum, ac veroſimile videretur, ſuaviſſima complebatur voluptate. Obſervata, & notata a ſe communicabat cum ſummis viris Laurentio Bellinio, & Joſepho de Papa, quorum doctrinæ ſplendor omnibus quidem lucebat, ſed præſertim Joſepho, quem in oculis ferebant. Idem ſæpe etiam a terra in cælum aſcendebat, ut curſus, converſioneſque ſtellarum, reliquaque cæleſtia noſceret: neque illud ſatis mirari queo, ipſum nullo duce per ſe aſſequi potuiſſe Ptolemæum inter ſidera ſpatiantem, & abditiſſima naturæ arcana permeantem. Nemo enim ignorat quanta in obſcuritate rerum, & verborum illius Almageſtus verſetur. Hæc aliaque ſtudia minime retardabant mirificos progreſſus, quos Joſephus in Juris prudentia faciebat, neque ejus voluntatem ab illa facultate vel minimum alienabant; quin immo magis magiſque accendebant, cum ei eſſet perſuaſum, Juriſconſultum, qui divinarum, humanarumque rerum notitiam profitetur, maximis diſciplinis inſtructum, & omnibus prope doctrinis eruditum eſſe debere. Et ſane, qui reputat gra-

graviſſimum teſtimonium, quod Benedictus frater Joſepho impertivit, dum illum an. MDCLXXXIV. laurea inſigniret, facile intelligit ipſum in ætatis flore ad eam laudem perveniſſe, ut ferme dici poſſet ἐγκυκλοπαιδικός. Inſignia doctrinæ multi etiam ſine doctrina aſſequntur; ſed tanta præconia ab homine intelligente, & in quo ingenuus animi candor eminebat, aſſequi ſola ſapientia poterat. In hoc litterarum curſu comitem ſe præbuit Joſepho Nicolaus frater, de cujus hominis ingenio, atque induſtria multa mihi videbor prædicaſſe, ſi hoc unum dicam, nunquam hæſiſſe in fratris veſtigiis perſequendis. Poſtquam in patriam rediit Joſephus, oblata eſt ei conditio per Vincentium Vivianium (huic enim mandata res erat) tradendi Mathematicas diſciplinas in Bononienſi Archigymnaſio. Non dubitabat quidem is, quin cumulatiſſime Joſephus expleret mirificam expectationem, quam in recipiendo mandato commoverat. Verum ab ipſo minime impetrare potuit, ut conditionem, honorificentiſſimam licet, acciperet. Hæc recuſatio pergrata fuit Coſmo III. Mediceo, qui retinendum in Etru-

ria

Digitized by Google

ria putabat adoleſcentem, de cujus præſtanti doctrina multa audierat a Laurentio Magalotto, Franciſco Redio, aliiſque doctis viris. Itaque eodem ferme tempore munus ei detulit publice tradendi in Piſana Academia Inſtitutiones Juris civilis. Extant litteræ ejuſdem Redii ad Donatum Roſſettum, datæ Piſis prid. Kal. Febr. an. MDCLXXXV. *ab Incar.* quibus ei nuntiat, Joſephum in ineundo novo munere eam habuiſſe orationem, in qua excellens, & plane admirabilis triumphavit eloquentia. Dolendum ſane, neque hanc, neque alias, quas in illo ſapientiæ domicilio habuit orationes, ſi unam excipias *de Jurisprudentia, Medicina, Theologia per ſua principia addiſcendis*, ad nos perveniſſe. Dubito an ponam in orationum numero, quas in tradendis laureis laudationes fecit, quarumque vidi ego ſeptuaginta novem apud humaniſſimum, ampliſſimumque virum Gabrielem Riccardium. Illud ſine ulla dubitatione ſtatuo, ac judico, fuiſſe in Averanio vim illam divinam, virtutemque ornate, copioſe, varieque dicendi; talemque ejus exſtitiſſe orationem, qualis, ut de L. Craſſo dixit

xit Tullius, in bono ædificio firmus paries, & ſatis ſplendens. Quidquid vero docebat, mirum, quam ſine ullis ſalebris, ſine ulla aſperitate influeret in aures, animoſque diſcentium, eiſque ſe non adſcita, fuciſque, ac pigmentis quæſita, ſed naturali pulchritudine, ac ſuavitate commendaret. Neque ſolum legum cognitione pectus auditorum ſuorum Joſephus implebat, ſed per omnem antiquitatem, omnemque philoſophiam gradiens, ipſos ad fontes ducebat, unde manarunt ampliſſima Juris civilis flumina, per quæ toto orbe ſparſa, atque diffuſa multos ſummo homines ingenio, ſed præſertim Cujacium, Merillium, Gothofredos, Brummerum, Bynkershoekium, & Noodtium ſtrenue, proſpereque navigaſſe dicebat. Horum in numerum poterat & ſe ipſum referre, niſi ſua ſibi obſtitiſſet modeſtia. Retulit certe Heineccius, cujus judicium nemo ignorat quanti faciendum ſit, dum viros enumerat, e quorum ſcriptis adjumenta habuit ad ſuas Antiquitates Romanas conficiendas. Erant enim tum in manibus hominum libri duo *Interpretationum Juris*, cujus operis vul-

gan-

Digitized by Google

gandi hæc Averanio data eſt occaſio. Cum Florentiæ commoraretur Henricus Brenkmanus Batavus, ut ope Florentini Codicis Pandectas veræ lectioni reſtitueret, ſæpe ad Joſephum veniebat, ex cujus congreſſu, doctiſſimiſque ſermonibus ſe capere fructum maximum dicebat. Accidit aliquando, ut legeret ſelecta quædam capita ejuſdem operis, in quibus admiratus limatum judicium, reconditamque doctrinam, atque eruditionem, ab Auctore impetravit, ut ſibi liceret ſpecimen aliquod mittere ad Cornelium Bynkershoekium, & Gerardum Noodtium, alioſque Juriſconſultiſſimos viros cives ſuos. His illud probatiſſimum fuiſſe hoc erit indicio, quod non ſolum ſuaſerunt, ſed etiam rogarunt, ut integrum opus in vulgus ederetur, maximo affirmantes iſtud uſui fore Juris prudentiæ amatoribus. Facile annuit Joſephus, quod approbatio a tanta auctoritate proficiſcebatur. Itaque autographum Brenkmano conceſſit; hic vero ad Noodtium miſit, cujus nutu, atque conſilio Lugduni Batavorum a Petro Vanderio an. MDCCXVI. typis impreſſum eſt. Summus plauſus, quo duo priores *In-*

ter-

terpretationum libri excepti a doctis viris fuerunt, ſtimulavit Joſephum, ut iis tres alios adjungeret, in quibus componendis, expoliendiſque plurimos evigilavit annos. Cumque vita exceſſiſſet, priuſquam eos typis committeret, hujus rei conficiendæ, ſi placuiſſet, negotium dedit amico, & diſcipulo cariſſimo Antonio Nicolinio. Omnia hic ſtudioſiſſime, diligentiſſimeque curavit. Nam iiſdem Vanderianis typis an. MDCCXXXXVI. opus ſic excuſum eſt, ut nihil fieri potuerit elegantius; & ne quid ejus perfectioni deeſſet, illud ipſum Philippus Martinius æqualis, & condiſcipulus Nicolinii indice copioſiſſimo, ac ſummariis locupletavit. De quo toto opere cum aliquando judicium exquiſiiſſem Leopoldi Andreæ Guadagnii, viri in principibus hujus ſæculi Juriſconſultis profecto numerandi, hoc ab eo reſponſum tuli. *Præclaro Interpretationum juris opere quantum Joſephus Averanius præſtantiſſimus Juriſconſultus Romanam Juris prudentiam illuſtraverit, ornaverit, auxerit, animo percipere is facile poterit, qui animadvertat, eum in propoſitis quæſtionibus diſſolvendis omnia accurrate præſti-*

præſtitiſſe, quæ ad profligandos errores, ad Juris origines, atque progreſſus inveſtigandos, & in lucem proferendos, ad certam demum conſtabiliendam ſententiam pertineant. Non tam quod alii Interpretes dixerint, quam quod Romani prudentes excogitaverint, ſummo ingenii acumine deligit, ſummoque judicio perpendit. Ubi ſæpe alii, ſi quid minus adſequi poſſunt, obelis configere, nodos non ſolvere, ſed ſecare ſolent, hic noſter optimis rationibus aperte declarat, haud temere a majoribus probatum id eſſe, quod habent vulgati codices. Quæ ſuperſunt in Juſtinianeis libris fragmenta non modo invicem, ſed & cum claſſicis, & aſſiduis tum Græcis, tum Latinis ſcriptoribus, quaſi Cujacius alter, ita confert, ut aliis alii mutuam præferre facem voluiſſe videantur. Cognitione antiquitatis, ac victrici, ut mos eſt Geometrarum, ratiocinandi vi luculentiſſime id oſtendit, quod poſt ingentes tot doctiſſimorum hominum in promovenda Juris prudentia labores cæca adhuc erat caligine circumfuſum. Neque, ut cultiores nonnulli Interpretes faciunt, ſola ferme alicujus vocabuli, aut ſolemnioris ritus

tus explicatione tota ejus diſputatio circumſcribitur, ſed & ea, quæ ad obſcuram ſive contrahentium, ſive teſtatorum voluntatem interpretandam conducunt, ac forenſes dirimunt diſceptationes, fuſe, docteque proſequitur. Jam vero quanta verborum proprietas, quanta ſententiarum perſpicuitas in ſingulis operis hujuſce capitibus enitet! In quamlibet certe ejus partem oculos verteris, non tam elegantiſſimum ſcriptorem, quam eximii prorſus ingenii, acerrimique judicii virum ſuſpexeris. Hæc Guadagnius, qui in iis exponendis nihil profecto amori in Averanium, cujus in diſciplina fuit, conceſſit. Pleraque autem, quæ ſunt in his *Interpretationum* libris, explicavit Joſephus auditoribus ſuis; tamque lautam ſupellectilem ad ea magis magiſque illuſtranda conferebat, ut facile convinceret, neminem ſine graviorum artium, & doctrinarum inſtrumento ad Juris prudentiam poſſe accedere. Hinc ſæpe dicere ſolebat, illos turpiter errare, qui putant Jus civile ſummatim percipi ſine doctrina poſſe, nam cum hæc facultas latiſſime pateat, eo firmiora doctrinarum fundamenta, & altiores radices habere neceſſe eſſe: tan-

tanquam perniciem reipublicæ fugiendam, inſectandamque illam Juris prudentiam conflatam ex colluvione legulejorum, cœnoque opinionum inter ſe diſſidentium, & plerumque cum antiqui Juris integritate, cum ratione, cum ipſa veritate pugnantium; qui hanc ſequuntur omnia ſordido quæſtu, non ſcientia, doctrina, & dignitate metiri. Hæc, aliaque monita crebro inculcata ſtudioſis, erant induſtriæ quidam, ac laboris ſtimuli ad veram concipiendam ſapientiam; elucebantque veluti ſigna itineris, quod ab iiſdem erat conficiendum. Quo in itinere ut facilius progrederentur, omnibus patere voluit domum ſuam, tanquam officinam omnium magnarum facultatum; neque recuſavit etiam habere domeſticos convictores nonnullos adoleſcentes, in quibus præclara eſſet ingenii, virtutiſque indoles. Poſſem plurimos illuſtres honoribus, & fama nominatim referre, qui ex ejus ſchola prodierunt. Sed vereor, ne aut quemquam aliis præferre videar, aut ſi quos præteream incautus, offendam. Itaque ſatis mihi videbor dixiſſe, cum nominavero Joannem Gaſtonem Mediceum, quem ejus

pater Coſmus III. Magnus Etruriæ Dux conſilio Henrici Noriſii an. MDCLXXXVIII. Averanio tradidit erudiendum in diſciplina Juris. Exercuit Averanius Principem adoleſcentem diligentiſſime non ſolum in Juris prudentia, ejuſque miniſtra & famula Græca, Romanaque eruditione, ſed etiam in contemplatione naturæ. Cumque annis MDCXCIIII. & ſequenti, ſociis, & adjutoribus Cypriano Targionio, aliiſque doctis viris, plurima in Mediceis ædibus habuiſſet experimenta de vi radiorum ſolis in vitris collectorum, videbatur renovaſſe nobiliſſimam illam Academiam, cui nomen erat *del Cimento*. Profecto Joſephus nemini eorum, qui in eadem Academia excelluerunt, concedebat acumine, diligentiaque; quod judicium fecerunt quoque docti, & intelligentes viri, qui de iiſdem experimentis retulerunt. His perſpectum habemus, vi radiorum ſolis gemmas, ceteroſque vel duriſſimos lapides, ſi unum excipias adamantem, qui ſenſim abſumitur, & evaneſcit, amiantum, talcum, multoque magis ligna, herbas, poma, caſeum, hiſque ſimilia breviſſimo tempore liquefieri,

& in

& in cryſtallum converti ; liquida vero corpora , ſales , plumbum , hydrargyrum abire in fumum ; res ab aqua , vel in aqua genitas in calcem redigi ; aurum , argentum , atque æs minime mutari , ſed priſtinam conſervare naturam ; vitriolum cypri , aliaque metallica corpora verum , pulcherrimumque in metallum verti , ſic vero verſa haud amplius immutari. Hæc eadem experimenta accuratiſſime , eleganterque Etruſco ſermone deſcripſit Joſephus , qui nos quoque illud ſcire voluit , lunæ radios nunquam vim tantam habere , ut calefaciant. Quod quia nullo modo ſine ſumma cura , ac diligentia deprehendi per exprimenta poteſt , hinc factum puto , ut multi , quamvis inſignes Philoſophi , in contrariam iverint ſententiam. Idem Piſis cum eſſet , ſumma felicitate renovavit ante oculos diſcipulorum ſuorum , quæ Hawksbæus habuerat experimenta de luce , & electricitate corporum ; & dum tractaret Boyleanam machinam , vidit , & in medium attulit nova , & incognita quædam de pondere , & elaſticitate æris. Multa quoque inveſtigavit de odorum proprietate , & in iis componendis ,

 quoad

quoad vixit, valde delectatus eſt. Sed præſertim in id incubuit, ut tempus conſtitueret, quo ſonus propagatur, utq; cognoſceret, num ejus velocitas adverſis ventis retardetur, ſecundis augeatur. Hæc aliaque experimenta de ſono fecit Averanius rogatu Laurentii Magalotti, qui eadem conceſſit poſtulationi Regiæ Societatis Londinenſis. Hæc vero volens Averanii operam remunerari, illum honorifico decreto ſuum in collegium cooptavit. Nec minus excellebat Averanius in fabricandis teleſcopiis, aliiſque mathematicis inſtrumentis; omninoque videbatur ad phyſicas, & mathematicas facultates natus, per quas, non ſecus ac per Juris prudentiam, potuiſſet ſempiternæ gloriæ commendari, ſi famæ cupidior fuiſſet. Illam laudem unice videbatur quærere, ut aliorum utilitati ſerviret, quod quidem ſe conſecuturum putavit, ſi Piſis Academiam inſtitueret, in qua induſtrii adoleſcentes in omni re phyſica exercerentur. Huic Academiæ *Oppreſſorum* nomen dedit, legeſque, quibus illa teneretur, Latine deſcripſit, verbis & ſono ſubruſtico imitatus antiquitatem.

Nec

Nec minori Juris ſtudioſorum commodo multos præfuit annos illi Academiæ, quæ dicta eſt *Umbroſorum*, quæque ad excolendam Juris prudentiam eſt condita. Continue enim adoleſcentes in theſibus modo ad Philoſophorum morem tenuiter differendi, modo ad copiam Rhetorum in utramque partem exercebat; interdum etiam illos jubebat afferre orationes, in quibus, aliiſque rebus conficiendis ſi quis ope ſua indiguiſſet, hanc nemini deeſſe patiebatur. Extant theſes quædam de jure belli & pacis, quæ laudem non mediocrem pepererunt Averanio, qui eas ſcripſit, & Germano cuidam adoleſcenti, qui eaſdem publice propugnavit. Profecto nunquam conquieſcebat, neque defatigabatur Joſephus antequam cumulatiſſime ſatisfeciſſet diſcipulis ſuis. Non paucos quoque liberalitate ſua devinxerat, quibus rebus fiebat, ut quotieſcunque in publicum prodiret, multi eum ſubſequerentur, & nemo ei par in civitate poneretur. Triennium ipſe in explicandis Inſtitutionibus laboravit, poſt quod tempus, an. ſcilicet MDCLXXXVIII. ad interpretandos Pandectarum

titulos vocatus eſt; duxitque initium ab eo, qui eſt de fidejuſſoribus & mandatoribus, in quo libentiſſime verſatus eſt propter ejuſdem amplitudinem, atque utilitatem. Accidit aliquando, ut Piſas adveniret Fridericus Regius Saxoniæ Princeps. Is motus præclara fama, quæ de Averanio erat, voluit eum e ſuperiori loco docentem audire. Rem gratam fore juveni Principi putavit Joſephus, ſi argumentum e publico Jure depromptum tractaſſet; fuditque pene ex tempore diſſertationem illlam *de Pignorationibus*, quæ eſt in manibus, & ex qua facile intelligi poteſt, quanta in eo eſſet doctrinæ copia [non tamen eſt celandum ipſum non æque perfecte Juris publici, ut civilis, leges & inſtituta cognoviſſe] & quam plenus eſſet, uber, atque elegans ad Latine ſcribendum. Inter hæc Joſephus Benedictum fratrem amiſit, quem caſum pro mutua conjunctione, benevolentia, quotidianaque conſuetudine vehementer doluit. Quæſivit ipſe levamentum doloris in canendis mortui laudibus flebili, ac molli carmine, illiuſque vita Latine deſcribenda, quæ quidem

dem præſtitit ſuo more elegantiſſime: & hoc quoque ſe debere fratri dulciſſimo putavit, ut ejus ſcripta Præfatione vindicaret ab illis, qui ea incondita, inordinata, multa quidem eruditione referta, ſed non ornata, & ſanguine ferme carentia dicebant. Fuit profecto Benedictus vir litteratus, idemque Latina eloquentia adeo excellens, ut nonnulli, & in his Janus Vincentius Gravina, non dubitaverint illum præferre M. Antonio Mureto. Sed neſcio, quomodo is, quem inter æquos, ſapienteſque judices conſtat eloquentia præſtitiſſe, non raro parum preſſus, & nimis redundans videatur; a quo vitio plurimum abfuit Joſephus, qui ſuam copiam ita temperavit, ut in ejus orationibus neque ſuperſit quidquam, neque deſit. Si autem apparatu eruditionis inſtruere debebat aliquid ſcriptionis, non imitabatur illorum exemplum, quibus unice eſt propoſitum, ut multa proferant, non delectum, non modum, non ordinem ſpectantes, ſed acri, quo pollebat, judicio ex theſauris ſuis tantum expromebat optime convenientia, eaque non vulgaria, ſed recondita;

omnia vero diſtinčte, & ordinate diſponebat, illuſtrabatque mira orationis elegantia. Fecit hoc in iis Italicis Diſſertationibus, quas dixit in nobiliſſima illa Florentina Academia Etruſci ſermonis moderatrice, atque cuſtode, quarumque tria extant volumina ab Antonio Franciſco Gorio annos aliquot poſt mortem Auctoris edita. Primum abundat doctrina veterum Philoſophorum, ac præſertim Platonicorum de Deo, ejuſque natura. Plurima quoque habet ex intima Chriſtiana Theologia, & ex SS. Patribus, præcipue Græcis deprompta. Sunt & in eodem volumine, quæ de acerbiſsimis cruciatibus, indigniſsimoque Servatoris noſtri ſupplicio Joſephus diſſeruerat, & Urbini an. MDCCXXXVIII. mendoſe quidem typis impreſſa fuerant. Porro hæc hominem in lectione SS. Patrum, celebriorumque Theologorum exercitatiſsimum oſtendunt, quorum ſententias de generibus pœnarum, quas Chriſtus ſubiit, ad leges, conſuetudineſque veterum Romanorum eruditiſsime perpendit. Hac enim via, quod veriſimilius eſſet, in magna opinionum varietate ſtatui poſſe puta-

putavit. Non incommode quædam perſequitur de coronis veterum; deinceps pluribus explicat, qua ratione in morte Chriſti deficere ſol univerſæ quidem terræ, extinguique viſus eſt; & pauca quædam docet de Hebræorum, Romanorumque magiſtratuum poteſtate, judiciorumque forma, ad levandam aliqua ex parte Pilati culpam in acerbiſsima, injuſtiſsimaque Chriſti damnatione. Claudunt demum volumen diſputationes duæ de mundi fine, quibus Averanius ſuadere nititur, illum tum fore, quando cuncta aſtra ad idem, unde ſemel profecta ſunt, redierint, quod temporis ſpatium annus magnus appellari ſolet, in quo, vix dicere audent Aſtronomi, quam multa ſæcula teneantur. Secundum volumen plurima habet phyſica, quæ mirabiliter explicant igneam ſolis naturam, & ſummam lucis ſubtilitatem, velocitatemque. Explicant etiam, quæ de corporum gravitate, hujuſque legibus docuerunt Philoſophi, præſertim recentiores; rationemque reddunt, quare vis gravitatis minuatur, ſi corpus per aquam deſcendat. Vidit hoc primus omnium Leibnitius: multa vero

vero prompſit ex ſe Averanius ad illud ipſum confirmandum. Quod autem putaverit Leibnitius, illa obſervatione explicari facile poſſe cauſſam aſcenſus, & deſcenſus hydrargyri in barometro, hoc neutiquam probat Averanius. Sunt etiam in eodem volumine [non commemoranda hic eſſe duco experimenta habita a Joſepho cum ignario ſpeculo; & quædam alia de ſono, quia illa ſupra retulimus] erudita multa. Talia ſunt, quæ comprobant haud incognita fuiſſe veteribus non ſolum ignaria ſpecula, ſed etiam ea, quæ formas aut augent, aut minuunt; nec non illa, quæ originem, & progreſſionem naviculariæ apud veteres perſequuntur; & quæ demum oſtendunt nunquam fuiſſe in Liguria Apuam urbem, quamvis a Tito Livio Ligures Apuani nominentur. Poſtremo ad ornamentum voluminis accedunt binæ funebres orationes, quibus Joſephus laudes celebravit Philippi Corſinii, & Laurentii Magalottii; & quæ idem præfatus eſt de conjungendis præclaris artibus, & diſciplinis cum Juris prudentia, dum in lucem an. MDCCIV. Florentiæ emiſit lyrica

quæ-

quædam Anſaldi Anſaldii, viri utriuſque juris conſultiſsimi. Tertium volumen magna ex parte conficiunt erudita, & curioſa multa de conviviis veterum. Haud pauci quidem, e recentioribus præſertim, tractarant iſtud argumentum, quos omnes cum diligenter pervolutaſſet Joſephus, undique floſculos in rem ſuam carpſit, ac delibavit. Sed majora ſunt, quæ ipſe per ſe inveſtigavit, quæque retruſa antea, atque abdita in media antiquitate, protulit in lucem, ut videatur voluiſſe omnes ſuperare doctrina, eruditione, ſubtilitate, atque elegantia. Epularia ſequuntur pauca quædam phyſica, metaphyſica, & juridica. Oſtendunt priora, qui fieri potuerit, ut multi ſine cibo diu vitam ſuſtentaverint; commendant altera dulcem, & altam non jam corporis, ſed mentis quietem ad explicandum illum Homericum verſum:

"Ὕπνε ἄναξ πάντωντε Θεῶν, πάντωντ' ἀνθρώπων

verſantur poſtrema in ea quæſtione, utrum ſignificatio Italici verbi *mobili* eo trahi poſſit, ut annonam comprehendat. Tribus his voluminibus quartum adjungetur, in quo

erunt

erunt Latinæ diſſertationes duæ, & oratio *de Juris prudentia, Medicina, Theologia per ſua principia addiſcendis*, de qua ſupra commemoravimus. Agit prior diſſertatio *de Lampadum ludo*, eaque probatur illum non fuiſſe in uſu apud Romanos, fuiſſe vero apud Græcos pervulgatum, qui Panathenæis, Vulcanalibus, & Prometheis ipſum celebrare ſolebant in Ceramico. Probatur etiam, qui hoc ludo certabant minime lampadem in orbem circumtuliſſe, ſed a primo ad ſecundum, a ſecundo ad tertium, atque ita deinceps ad poſtremum uſque eam traduxiſſe. *Ludos in genere* proſequitur ſecunda diſſertatio, oſtenditque a Lydis ludos ad fallendam famem in magna annonæ caritate inventos fuiſſe, ab iiſque nomen accepiſſe; non tamen omnia ludorum genera nos ipſis debere, certe non ludum calculorum, ſeu, quod idem eſt, latrunculorum, cujus inventorem fuiſſe putat Palamedem Græcorum ſapientiſſimum. De hoc autem ludo calculorum, de variis illo ludendi modis tum apud Græcos, tum apud Romanos; de ejus differentia cum ludis teſſerarum, & talorum; de vocibus

cibus ad omnia hæc ludorum genera pertinentibus, in quibus interpretandis doctiſſimi etiam viri ſæpenumero errarunt; &, ut alia prætercam, de ludo quodam Ægyptiorum a Theute invento, in quo motus aſtrorum repræſentabatur, tam ſcite, ac litterate diſſerit, ut facile exiſtimari poſſit, illum fuiſſe antiquitatis peritiſſimum. Ejus vero bonitatem declarant quæ extrema diſſertationis parte poſuit ad penitus removendos homines ab aleæ ludo, in quo ſola dominatur fortuna; cujuſmodi erant ludi talorum, & teſſerarum: ſi cupiunt animum relaxare, poſtquam gravibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerunt, ludant latrunculis, in quo omnia ſunt artis, & ingenii; vel ſaltem, quodam retento modo, iis utantur luſionibus, in quibus cum fortuna certat ingenium, & ſortis iniquitas ſolertia artis corrigitur, qualis erat ludus teſſerarum cum calculis, cui Plato vitam humanam comparabat, & de quo Terentius in Adelphis act. IV. ſ. VII.

Ita vita hominum, quaſi cum ludas teſſeris,

Si

Si illud, quod maxume opus eſt jactu, non cadit,

Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Cum his poſthumis Latinis monumentis Averanii optandum eſſet, ut ederentur quoque ejus laudationes, quas in tradendis doctrinæ inſignibus fecit (lucent enim in iis maxima eloquentiæ, & præceptorum ornamenta) nec non libellus Latinorum carminum, quem Petrus Burmannus captus eorum nitore, atque ſplendore olim edere meditatus eſt. Nam ſtudia poetica, ut initio narravimus, in adoleſcentia Joſephus fovit; & ex quo tempore juvenilis alacritas deferbuit, quanquam nunquam acceſſerit ad poeticas ſcriptiones, temperare tamen ſibi non potuit, quin excellentiores poetas quotidie fere in manus ſumeret, eorumque lectione, quaſi condimento amœnitatis, graviorum ſtudiorum aſperitatem molliret. Mirum! quam multa ipſe memoriter, præſertim ex Plauto, Catullo, Virgilio, Horatio, & Juvenali recitaret; videbaturque nihil eſſe in iis non ſolum, ſed etiam in

aliis

aliis antiquitatis ſcriptoribus, quod illi eſſet incognitum. Satis de ſcriptis Averanii dictum erit, ſi hoc unum addam, non pauca ejuſdem judicialia, & forenſia extare. Nullo non enim tempore conſulentibus de jure reſpondit; & interdum etiam ad cauſſarum defenſionem advocatus venit, cum quidquam non cuperet magis quam exemplo ſuo oſtendere, omnibus vivendum eſſe, fugiendamque oſcitantem, & dormitantem ſapientiam. Romæ apud XIIviros litibus judicandis adfuit Antonio Mariæ Duci Salviato, quocum vinculis beneficiorum, & magni amoris erat conjunctus. Atque in ea defenſione illud animadverſum eſt, hominem, qui quidquid deferebat, multa commentatione, & meditatione elaborandum eſſe putabat, ut mereri poſſet elogium, quod Hierocles Philoſophus Socrati tribuiſſe fertur, illius ſermones teſſeris eſſe ſimiles, cum ſtarent ſemper erecti quacunque caderent, iniquo tuliſſe animo morem, qui eſt in eo tribunali, ſcripto reſpondendi adverſariorum argumentis paucarum horarum ſpatio. Romæ dum fuit, in admirationem, bene-

benevolentiamque ſui multos adduxit, ac præſertim Anſaldum Anſaldium, & Ferdinandum de Valentibus: hic vero non uno in loco ſuorum forenſium operum præclara teſtimonia dedit Averanii doctrinæ. Iidem quoque ipſi XIIviri litibus judicandis, quod raro homini viventi contigit, non ſemel in ſuis Deciſionibus Joſephi nomen, auctoritatemque laudarunt. Quam vero longe lateque ejus fama vagaretur, declarant quæ de eodem ſcripſerunt Schultingius, Barbeiracius, Heineccius, Van-de-Water, Brenckmanus, Clericus, Menckenius, Noodtius, & Bynckershoekius; qui duo poſtremi ipſum quoque per litteras conſuluerunt de controverſia inter eos orta, quonam ceſſaverit tempore paternum jus occidendi, exponendique liberos. Noodtius enim primos illud crudele jus deleſſe Valentinum, Valentem, & Gratianum exiſtimabat; citius legibus illud ipſum vetitum fuiſſe contendebat Bynckershoekius, cujus ſententiam confirmavit Joſephus, uſus præſertim teſtimonio Tertulliani *lib.* I. *cap.* XV. *ad Nationes*; qui locus rem conficere videtur.

tur. Hæc quoque non mediocris laus fuit ejus præſtantis doctrinæ, quod Victorius Amedeus Sardiniæ Rex magnis præmiis ipſum invitavit ad docendam Juris prudentiam in Taurinenſi Lyceo. Quæ omnia reſpiciens Coſmus III. Mediceus, voluit aliquando eum in Florentinum Collegium V. virum litibus judicandis cooptare, quod glorioſiſſimum erat Joſepho non ſolum propter muneris amplitudinem, ſed etiam quia tum, veteri inſtituto, minime ad illud admittebantur, niſi qui eſſent alienæ civitatis. Verum is noluit Piſanam Academiam deſerere, a qua nulla unquam res potuit ipſum divellere, niſi corporis infirmitas. Nam qui gracilis ſemper fuerat, & in graves, mortiferoſque non ſemel morbos inciderat, cum ad LXII. ætatis annum perveniſſet, cœpit aſſiduis doloribus [humores enim, qui corpus interfluunt, acor corruperat] aſſiduaque febricula vexari. Poſtquam vero cum ſpe valetudinis recuperandæ ſpem quoque amiſit Piſas redeundi ad ſuum munus, hoc ſe abdicare cogitavit, cum vir caſtiſſimus aſſignatum muneri ſtipendium ſine præ-

ſentia, atque opera accipere ſe non poſſe putaret. Non tulit hoc Joannes Gaſto Mediceus, qui eo tempore ad Etruriæ clavum ſedebat, ac bono illum animo eſſe, juſſit; & illud curare unice, ut diu vitam produceret. Ceſſit Joſephus Principis voluntati: ut vero ex animo omnem ſibi ſcrupulum evelleret, totum illud tempus, quo ſibi dabatur aliqua incommodorum levatio, abſolvendis *Interpretationum Juris* libris conſumebat. Sic enim, quod voce non poterat, ut Juris prudentiæ ſtudioſos erudiret, hoc idem monumentis litterarum aſſequi curabat. Conſumpſit in his malis XIV. annos ea fortitudine, ut ne vel minimum a patientiſſimi hominis ſtatu diſceſſerit. Dixiſſes ſcopulum, quem non jam umbra quædam ſapientiæ, ſed ſumma ſanctitas, atque religio adverſus omnes humanæ vitæ fluctus immotum fecerant. Cumque ad ceteras miſerias poſtremo, quo vixit, anno acceſſiſſet apoplexis, nunquam vim tantam habuit proximæ mortis aſpectus, ut non plus haberet Chriſtianus homo, fretus conſcientia optimæ mentis, futurorumque bonorum ſpe, quod gau-

gauderet, quam quod aut angeretur, aut perturbaretur. Et quotidie paſcens animum ſacrorum librorum lectione, & ſæpe inſtruens ſe cæleſti Viatico, omnibus demum, quæ ad religionem pertinent, ſancte peractis, vitæ curſum confecit mane IX. Kal. Septembris an. MDCCXXXVIII. Funus ei ſatis honorificum factum eſt in S. Marci, ibidemque, ſicuti juſſerat, ſepultus eſt; ut is locus, quem religionis ergo vivus frequentaverat, & in quem ſingulari fuerat ſtudio, mortuum reconderet, ac cuſtodiret. Neque multo poſt in periſtylio, quod Templo adhæret, prope ſepulcrum majorum meorum, Antonius Nicolinius Præceptori benevolentiſſimo marmoreum monumentum faciendum locavit, in quo hæc inſcripſit:

JOSEPHO AVERANIO
CIVI FLORENTINO BENEDICTI ET
NICOLAI FRATRI
IN PISANA ACADEMIA LIII. ANNOS
LEGUM INTERPRETI
JURIS CONSULTORUM SUI

 TEM-

TEMPORIS MAXIMO
PHILOSOPHIA GEOMETRIA ASTRONOMIA
GRÆCIS LATINIS LITTERIS
POESI ELOQUENTIA
ROMANÆ HISTORIAE COGNITIONE
CLARISSIMO
RELIGIONE MORIBUS SPECTATISSIMO
PRAECEPTORI OPTIMO
QUI VIXIT ANN. LXXV. MENS. V. D. IV.
OBIIT IX. KAL. SEPT. ANNO A
CHRISTO NATO
MDCCXXXVIII.
ANTONIUS NICOLINIUS
EX MARCHIONIBUS PONTIS SACCI
ET CASTRI CAMULIANI
H. M. D. S. P. F. C.

Teſtamentum fecit, in quo ſcripſit hæredes ægrotos valetudinarii Religioſorum, quos vocant Hoſpitalitatis. Legavit etiam partem bonorum ad dotandas pauperes, honeſtaſque puellas. Poſtremo, volens commodo, utilitatique ſtudioſorum ſervire, bibliothecam ſuam Academiæ Piſanæ reliquit. Hæc quoque declarant

rant Averanii pietatem in Deum, quam ſic coluit tota vita, ut imaginem antiquitatis in eo dixiſſes intueri. Intentus erat animus ad omnia religionis munia obeunda; ſumma cuſtodia ſenſuum; ſtatis quotidie temporibus divinis precibus vacabat; nihil majoris momenti aggrediebatur, niſi conſulto, & propitiato Deo, neque unquam in ſuggeſtum aſcendebat, quin prius templum aliquod ingrederetur ad divinam opem implorandam. Illum natura formaverat ad iracundiam propenſum, ſed hanc ſic compreſſit, ut eſſet in eo quaſi cos fortitudinis, quemadmodum illam veteres Academici dixerunt, non peccandi occaſio. Ex quo factum eſt, ut multorum ſine offenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit benevolentiam; neminemque, etſi laceſſitus, læſerit. Si quando vero cogebat eum veritas, quam nulli diſciplinæ addictus unice ſemper amavit, aliorum opiniones convellere, nunquam eos nominabat, videbatque ſedulo, ut confutatio, quod & in monitionibus obſervavit, omni acerbitate careret. Vix tamen ferebat, ut a diſcipulis ſuis ſibi contradiceretur,

tur ; nec defuit aliquando eorum unus , qui audacter in ipſum jaceret Cujacianum illud : *Si verum amamus , ſumus invicem magiſtri , & diſcipuli* . De reliquo impenſe eos diligebat Joſephus, & ab iis quoque dilectus eſt ; cujus rei non mediocre argumentum eſt æneum numiſma , quod eidem dedicarunt . Ex una parte illud repræſentat effigiem Averanii , ex altera Parrhaſium montem , templum , & ſimulacrum Deæ Themidis cum hac inſcriptione : THEMIS PARNASSIA ; quæ inſculpta ſunt ad indicandas præſtantes , multipliceſque artes , atque doctrinas , quas Joſephus cum perfecta Juris cognitione copulabat . Id ipſum ſuſpiciens Laurentius Bellinius , in immortali illo ſuo *de Buccheris* poemate dubitare ſe dixit (danda quædam eſt licentia Poetæ) an plures in Averanio eſſent animæ . Quam laudem multiplicis eruditionis magnifice quoque extulit Nicolinius, cum Joſephum laudandum ſuſcepiſſet apud Academicos Etruſcæ linguæ cuſtodes , conſervatoreſque , ut omnia , quæ amantiſſimi erant diſcipuli , officia & vivo , & mortuo præſtaret . Nimis vero longus eſſem , ſi ſingulos recenſere

ſere vellem, qui ſumma de Averanio prædicarunt. Nihil enim ei invidia detraxit, ſemperque æquiſſimis uſus eſt hominum judiciis. Itaque minime eſt mirandum, ſi ſic Piſis fuerit, ut delata ei omnium conſenſu Academiæ dictatura videretur. Nec minoris erat ejus auctoritas apud cives ſuos. Cumque ſolitus fuiſſet iis temporibus, quibus Florentiæ, propter vacationem a publico docendi munere, commorabatur, frequentare Academiam patriæ linguæ moderatricem, ita in ea præſtabat, ut omnia illius nutu geri viderentur. Quod tum maxime apparuit, quando ejus hortatu immenſum opus ſuſceptum eſt conficiendi Etruſci Lexici. Una enim vox Averanii, unum conſilium incredibilem rei magnitudinem, ac difficultatem vicit. Quod vero in tanta exiſtimatione, tantaque fama modeſtiam ſervaverit, neque unquam elati, inflatique animi ſignum dederit, hoc magnum, & mirabile debet judicari. Optime novit, & in ſe oſtendit difficillimam illam ſocietatem gravitatis cum humanitate, quæ res plurimum valuit ad conciliandam ei apud homines auctoritatem, &

gratiam. Cultor, ſiquis unquam alius, caſtitatis, & virginitatis amicis adhortantibus ſe ad ducendam uxorem reſpondebat, nihil eſſe libero lectulo jucundius. Et qui voluptatem virtuti inimicam ſemper odit, ac fugit, tam parce, continenter, ſobrieque vixit, ut illam vocem Socratis ad nundinas Athenis celebrari ſolitas egreſſi uſurpare potuerit: *heu quot non egeo!* At quantum commodo, voluptatique detrahebat, tantum liberalitati aſſignabat. Nam domum ſuam magno ære alieno liberavit: ſæpe Philippo Baldinuccio, qui ei erat a confeſſionibus, non mediocrem pecuniæ ſummam dedit diſtribuendam egentibus, qui Parœciam S. Marci incolebant: ſæpe quoque puellas, quæ propter paupertatem conditionem reperire non poterant, dote attributa, collocavit. Et ne differendo videretur negare, ſemper habebat ſecum, quod ſtatim daret opis ejus indigenti. Nulli vero amicorum fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Sic ſe gerendo minime mirum eſſe debet, ſi ejus vita omnibus fuit cariſſima, & mors peracerba.

OPE-

Opera edita.

DE LIBERTATE FLORENTIÆ. Nunquam contigit mihi videre hoc Averanii opuſculum.

ESPERIENZE fatte collo ſpecchio uſtorio di Firenze ſopra le gemme, e le pietre dure. Harum ſpecimen prodiit primum in Part. V. Tom. VI. *della Galleria di Minerva*; mox eadem experimenta prodiere in Tom. VIII. art IX. *del Giornale de' Letterati d'Italia*.

DISPUTATIO de jure belli & pacis. *Floren*. 1703.

PREFAZIONE alle Poeſie Toſcane di Monſignor Anſaldo Anſaldi impreſſe in Firenze nell' an. 1704.

VITA BENEDICTI AVERANII, & Præfatio ejus operibus. Exſtant in primo volumine eorumdem operum, quæ edita ſunt Florentiæ tribus voluminibus in folio an. 1717. *Elegia* in mortem ejuſdem Benedicti extat in Tertio volumine.

*DISSERTATIO de Repreſaliis habita Piſis an.*1713. Edidit hanc primus Lazzarus Benedictus Miglioruccius an. 1732. Tom.IV.ſuarum *Inſtitutionum Juris Canonici pag*. 75.

INTERPRETATIONUM JURIS LIBRI DUO. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa, 1716.*in* 8.

——*LIBRI TRES POSTERIORES, PARS I. ET II. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa*, 1746.*in* 8.

ORATIO de Juris prudentia, Medicina. Theologia per ſua principia addiſcendis, Piſis habita an. 1723. *in ſolemni inſtauratione ſtudiorum a V. Clariſſ. Joſepho Averanio, Piſano Anteceſſore; nunc primum edita ſub auſpiciis Illuſtriſſimi, & ampliſſimi viri Bonaventuræ Nerii Badiæ, magno Etruriæ Duci a conſiliis. Veronæ, in* 8. Edidit hanc orationem Draunerus Cibanctus, ſub quo ficto nomine occultari voluit Bernardus Tanuccius, qui Averanii diſciplinæ alumnus fuit.

LEZIONI ſopra la Paſſione di Noſtro Signor G. C. Urbino. 1738.

DIS-

DISSERTATIO de Calculorum ſeu Latrunculorum ludo. *Venetiis* 1742. *in Tom. VII. della Miſcellanea di varj opuſcoli*.

LEZIONI TOSCANE dell' Avvocato Giuſeppe Averani Accademico della Cruſca Tom. I. in Firenze nella Stamperia di Gaetano Albizzini 1744. *in* 4.

—— *TOM. II. preſſo il medeſimo* 1746.

—— *TOM. III. preſſo il medeſimo* 1761.

MONUMENTA LATINA POSTHUMA JOSEPHI AVERANII FLORENTINI in Piſano Athenæo Anteceſſoris nunc primum edita. Florentiæ 1768. ex typographia Albizziniana.

CONSULTATIONES, & reſponſa Juridica varia ſeorſim edita.

Opera inedita.

DEFENSIO propoſitionis mechanicæ Galilæi, aliorumque de momentis gravium deſcendentium aſſerta: Piis Galilæi manibus.

DEFENSIO alterius propoſitionis, quam idem Galilæus poſuit initio Dialogi II. de lancis æquilibrio, cui diverſa corpora, diverſiſque modis ſint appenſa.

TRACTATUS de Sphæra.

ARCHIMEDES cum Eutocii commentariis Latine redditus; & notis, & obſervationibus illuſtratus a Joſepho Averanio.

LATINA CARMINA.

LAUDATIONES LXXIX. habitæ in tradendis laureis.

JOAN-

JOANNI BAPTISTÆ MORGAGNIO

ANGELUS FABRONIUS S. D.

Audacter ſane tecum ago, mi Morgagni, quod non verear te meis litteris, meiſque nugis frequenter adeo interpellare. Sed mihi ignoſcas velim, qui habeo excuſationem multis, iiſque inſignibus notis perſpectæ humanitatis, ac benevolentiæ erga me tuæ. Tantum non intelligo, quæ te cauſſæ impulerint ad iſtam in me voluntatem ſuſcipiendam. Fortaſſe opinio aliqua eruditionis: ſed magnopere timeo, ne te aliquando pœniteat erroris, mecumque agas ex Ædilitio edicto ad redhibendum, quaſi vitioſum aliquid, aut morboſum pro ſano emeris. Mihi crede, nil aliud in me eſt, quod tuto amare poſſis, niſi animus tui benevolentiſſimus, ab ambitioſa, fucoſaque amicitia prorſus alienus, ingenuus, apertus, & in honeſta ſtudia propenſus. Hujus meæ propenſionis ſignum tibi erit, quod in maximis recentis muneris occupationibus vitam Bartholomæi Beccarii Romæ a me inſtitutam & perfecerim, &, quantum

tum

Digitized by Google

tum potui, edolaverim. Hanc ad te mitto, ut ſingula in ea contenta perpendas; & quaecumque tibi videbuntur, corrigas; quod poteris facile, & propter praeſtantiam litterarum & judicii, & propter ſingularem amicitiam, quam ab ineunte prope aetate inter te, & illum praeclarum virum uſus, conſuetudo, & liberalium ſtudiorum ſocietas, ac ſimilitudo copulavit; unde Beccarii res ſi non plane, magna ſaltem ex parte cognitae tibi eſſe debent. Multa quidem hujus conjunctionis dediſti teſtimonia in ſcriptis tuis, multa viciſſim reliquit Beccarius, quem plurimi etiam ſaepe gloriantem audierunt, ſe a primis adoleſcentiae annis exemplar habuiſſe Morgagnium ſuum in omni re praeclara gerenda, & ducem, & praeceptorem in anatomicis ſtudiis excolendis: bona enim praeterita grata recordatione renovata ſapientes in primis delectant. Vale; meque amare perge, & certo tibi perſuade, te a me mirifice & amari, & coli.

Florentiae XI. Kal. Sext. MDCCLXVII.

BAR-

BARTHOLOMÆUS BECCARIUS.

JACOBUS BARTHOLOMÆUS BECCARIUS Bononiæ in vitam ingreſſus eſt VIII. Kal. Sextil. an. MDCLXXXII. cum parentes habuiſſet Romeum Beccarium, & Flaminiam Macariniam. Multa puer, eaque non communia ſigna dabat pudoris, atque ingenii; brevique ab hominibus Societatis Jeſu imbutus fuit iis artibus, quibus imbui ſolet puerilis ætas, ut humanitate excolatur, & ad majora veniat paratior. Lælio Triumphetto duce, in Philoſophia plurimum proceſſit, incitabatque generoſos condiſcipulos ſtudio ſuo, quo in numero fuerunt Ferdinandus Ghedinius, & Heraclitus Manfredius, quos conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit, ut neminem ii perpetuo habuerint cariorem. Ex omnibus autem Philoſophiæ partibus illam præſertim coluit, quæ in naturæ inveſtigatione, contemplationeque verſatur; & adhuc adoleſcentulus tam peritus erat rei herbariæ, natu-

naturaliſque hiſtoriæ , ut ætatem vinceret . Cum an. MDCXCVIII. Dominico Paſio interprete , elementa Geometriæ , & Trigonometriæ attigiſſet , adeo exarſit amore rerum mathematicarum , ut harum ſtudia non ſolum in adoleſcentia , ſed etiam in adulta , & in ſenili ætate , & in maximis quoque aliarum rerum occupationibus diligentiſſime exercuerit. Ad earumdem vero ſcientiam comprehendendam plurima adjumenta habuit a Victorio Franciſco Stancario, Gabriele Manfredio , Antonio Leprotto , & Franciſco Maria Zanotto , quos omnibus officiis ſemper proſecutus eſt , cum eos in præceptorum ſuorum numero duceret . Philoſophia , & Matheſi inſtructus Beccarius venit ad Medicinam , tradiditque ſe in diſciplinam Jacobo Sandrio , viro in ea facultate excellenti , qui e ſchola Malpighii prodierat . Quanta diligentia , quantaque animi , & ingenii contentione Beccarius facultatem illam excoluerit , ad quam eum in primis natura ferebat , ſatis explicari non poteſt . Quidquid a Præceptore audiebat , in animo, tamquam in ſaxo , inſculpebat : diu noctuque pervolutabat medi-

medicorum libros, quos probatiſſimos eſſe acceperat: veniebat frequens in noſocomium S. Mariæ de Morte, ut varia morborum genera diligenter examinaret, utque multa perciperet a Joanne Baptiſta Morgagnio in contemplanda admirabili membrorum animantium fabrica; requirebatque congreſſus, ſermoneſque illorum omnium, a quibus aliquid ſe diſcere poſſe ſperabat. Huic rei opportuniſſimam ſe præbuit Beccario domus Sandrii, quod in illam conceſſerat Academia *Inquietorum*, de qua multa narravimus in Euſtachii Manfredii vita. Ille igitur tantam proficiendi occaſionem non dimiſit; cumque Academicis eſſet cognitus multis doctrinæ, & ingenii ſignis, facile ab iis obtinuit, ut in illorum album referretur. Principio explicavit in hoc doctorum virorum cœtu cogitationes quaſdam ſuas, quibus oppugnabat ſpiritum nitri æreum, quibuſque rationem reddere conabatur vis, ut vocant, attractionis, quæ eſt in corporibus electricis. Mos erat Academicorum, ut eo uterentur diſputandi genere, quod anguſtis, & exilibus ſyllogiſmis continetur, quoque nihil erat iis tempori-

poribus communius. Ægre admodum ſe ad hunc morem accommodabat Beccarius, vixque ferebat præſtantia ingenia in iiſdem fere ſemper hærere quæſtionibus, quæ ad Dialecticam, aut ad Metaphyſicam pertinebant; neque imitari exemplum illarum Academiarum, quarum omne ſtudium verſabatur in phyſicis, & mathematicis facultatibus tractandis, illuſtrandiſque. Quæ dum quereretur, nemo poterat ſuſpicari, eum conqueri odio quodam, aut ignoratione adductum illarum rerum, quas plerumque Academici agitabant. Sic enim, ut acta Academiæ teſtantur, res metaphyſicas, eas præſertim, quas recentioris Philoſophiæ principes Carteſius, Malebranchius, Leibnitius, aliique tradiderunt, excoluerat, ſicque tenebat, ut explicare docte, ſi vellet, & profiteri facile poſſet. Erant eodem, quo Beccarius, ſenſu non pauci quoque alii Academici: præibantque omnibus Joannes Baptiſta Morgagnius, Euſtachius Manfredius, & Victorius Franciſcus Stancarius, quorum opera tandem factum eſt, ut Academia, excuſſo Scholaſticorum jugo, novum, utiliuſque amplectere-

ctere-

Digitized by Google

ſteretur philoſophandi genus. In hac inſtauratione placuit eligi duodecim Academicos, qui *ordinarii* dicti fuerunt, atque inter eos partiri, qui Naturalem hiſtoriam, qui Chymicam, qui Anatomen, qui Medicinam, qui Phyſicam, quique demum mathematicas facultates, quantum poſſent, illuſtrarent. Qua in partitione data eſt Beccario Naturalis hiſtoria, cui quidem ſic ſatisfecit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoſcerent. Expoſuit in ingreſſione muneris curioſa multa de Bononienſi arena quadam, quæ primus omnium obſervaverat. Erant inter hæc innumerabiles teſtaceorum exuviæ, quas, ut & cetera marina corpora, quæ paſſim occurrunt, certiſſima diluvii monumenta eſſe non dubitavit. Hanc vero ſententiam ut Academicis perſuaderet, ad eos retulit de Wodvardi libro, qui inſcribitur: *Specimen geographiæ phyſicæ*, undique ſpargens doctrinæ ſuæ lumen. Neque multo poſt accidit, ut ad Paternum montem ſe conferret una cum Ferdinando Marſilio, aliiſque Academicis, quo cognoſceret principia gypſi, aliaque ad hiſtoriam naturalem pertinen-

tinentia: Quibus in rebus excutiendis vidit eſſe quædam, de quibus antea idem Marſilius falſe ſcripſerat. Verum hic more magnorum virorum, qui ſapientiam poſitam putant non in pertinacia, ſed in amore veritatis, ſe de errore doceri, ab eodemque revocari non modo facile paſſus eſt, ſed etiam vehementer lætatus. Summum, quo Beccarius tenebatur, deſiderium magis magiſque proficiendi in ſtudiis Philoſophiæ invitavit cives ſuos ad mandandum illi publici Doctoris munus. Primus muneris gradus, quem an. MDCCIX. aſcendit, fuit Dialecticæ interpretatio, quam ſic explevit, ut omni cum veterum, tum recentiorum præſertim doctrina diſcipulos ſuos expoliret. Hoc quoque ſe debere putavit ſtudioſis litterarum, ut iis domum ſuam aperiret, quaſi ludum univerſæ quidem Philoſophiæ, ſed illius in primis, cui propoſita eſt naturæ inveſtigatio. Ea inter fatales quidam fuerunt caſus, quibus *Inquietorum* Academia ab excitata fortuna ad inclinatam, ac prope jacentem deſcivit; & ne plane ad interitum redigeretur, fecit duorum hominum diligentia

tia Beccarii, & Dominici Guſmani Galeatii, apud quos tum ſumma rei erat. Recuperavit illa demum priſtinam ſuam dignitatem eo tempore, quo conjuncta *Inſtituto* fuit. Qua in conjunctione multa nova præſcripta ſunt, illud in primis, ut ſex crearentur *Inſtituti Profeſſores*, quorum omnis eſſet cura exercendæ Aſtronomiæ, Architecturæ militaris, Phyſicæ, Naturalis hiſtoriæ, & Chymiæ. Horum in numero fuit Beccarius, cum is Phyſici locum cunctis ſuffragiis obtinuiſſet. Etenim omnes cognoſcebant non ſolum præſtantem ejus in omni re phyſica intelligentiam, ſed etiam ſummam induſtriam ad experiendum, & ingenium acerrimum ad conjectandum. Quæ duo poſtrema raro ſane perſpicimus in uno homine copulari, propterea quod ingenii vis plurimum detrahere ſolet de illa accuratiſſima, tolerantique diligentia, quam qui non adhibent in experimentis capiendis, multa fallacibus judiciis videant neceſſe eſt. Beccarius adjutorem ſibi in hoc munere elegit [eligendi enim poteſtatem ei fecerunt *Inſtituti* Præfecti] Dominicum Guſmanum Galeatium ho-

D 2 minem

minem ad Phyſicam natum, ſibique arctiſſimis amicitiæ vinculis conjunctum. Artifice vero conſtruendarum machinarum uſus eſt Franciſco Victuario, in quo neſciſſes utrum majus eſſet ingenium in excogitandis machinis, an induſtria, ac diligentia in conficiendis. Atque horum virorum tum auxilio, tum opera multa ille patefecit, & illuſtravit obſcura, quæ omnia a ſe diligentiſſime notata, ſi lucem hominum aſpicerent, plurimum & illius, & Academiæ gloriam augerent. Theatra quidem bella habebat Beccarius doctrinæ ſuæ *Inſtitutum*, & Archigymnaſium; ejuſque ſchola celebrata ſemper juventutis flore cœpit a doctis quoque viris frequentari, cum ipſe an. MDCCXII. ad Medicinam tradendam vocatus fuiſſet. Ex quo intelligi poteſt, quanta jam tum valeret opinione medicæ ſcientiæ, quam cum in dies faceret majorem, eo demum pervenit, ut vix ſufficere poſſet incredibili diſcere cupientium multitudini. Ineunte an. MDCCXVIII. cum totus eſſet in eo occupatus, ut ſe compararet ad anatomica multa oſtendenda, explicandaque Auditoribus ſuis, incidit in contagioſam febrim,

a qua

a qua in maximum vitæ periculum, & in extremum pene diſcrimen adductus fuit. Atque ex hoc morbo quamvis ipſe brevi emerſerit, non potuit tamen niſi octo poſt menſes priſtinam recuperare valetudinem. Fuit enim eo tempore magna in ipſo virium imbecillitas, accedebantque interdum febriculæ, laterumque dolores. Verum animi vis vicit corporis infirmitatem. Nam cum eſſet in eo, quem diximus, ſtatu, ſuſcepto oneri oſtenſionum, explicationumque anatomicarum noluit deeſſe; & ſe patientem quoque præbuit in erudiendis Medicinæ ſtudioſis, qui domum ſuam ventitabant. Mortuo an. MDCCXXIII. Antonio Maria Valſalva, qui præerat *Inſtituti* Academiæ, magna Academicorum voluntate Beccarius, qui jam Propræſes erat, in illius locum ſuffectus eſt. Qua in poteſtate plurima præclara geſſit, hodieque etiam regitur Academia multis Beccarii inſtitutis. Hic paucis ante annis acceſſerat ad Medicinam quoque faciendam; cumque eſſet ea, quam diximus, ſcientia, & diligentia prope ſingulari, ut non ſolum morbum ejus, cui mederi volebat, ſed

etiam conſuetudinem valentis, & naturam corporis undique cognoſcendam ſibi proponeret, illud aſſecutus eſt, ut brevi inter nobiliſſimos patriæ urbis medicos numeraretur. Quapropter nulla accidebat paullo difficilior curatio, quin Beccarius quæreretur; ejuſque ſententia magno erat apud omnes in pretio. In conventu medicorum ſi de morbis diceret, non minus docte, quam diſerte dicebat; ſi vero conſilia ſcriberet, ea erat elegantia, ac munditia orationis, ut urbanitate quadam quaſi colorata appareret. Sic cum eſſet nobile Beccarii nomen non ſolum apud Bononienſes, ſed apud abſentes quoque, ſæpe ad curandos alibi primarios, & dignitatibus ampliſſimos viros invitatus eſt. Raro tamen venit, cum abſtrahi nollet a publicis muneribus ſuis, iiſque ſtudiis, quæ culta ab adoleſcentia cum ætate in eo creſcebant. Plurimas a ſe habitas obſervationes barometricas, & meteorologicas, nec non de fatuis ignibus, & de quibuſdam maculis, quæ in lapidibus apparent, atque evaneſcunt, cum Regia Academia Londinenſi communicavit, laudemque ab ea inſignis Philoſo-

loſophi reportavit. Cui teſtimonio ut gravior confirmatio accederet, eadem Academia an. MDCCXXVIII. Beccarium in ſuorum numerum adlegit. At ille dum lumen ingenii ſui Londinenſi Societati oſtendebat, non minus ſedulo aderat *Inſtituto* ſuo. Cum an. MDCCXXVI. ea apparuiſſet Borealis aurora, qua nulla major poſt homines natos creditur extitiſſe, quaſcumque potuit admirabilis hujus meteori obſervationes ſtudioſiſſime collegit, collectaſque expoſuit Academicis ſuis. Expoſuit ea quoque, quæ auctore Valſalva, & auxiliante Joſepho Montio, notaverat de juribus variis, quæ ægrotis dari ſolent, qualia ſunt cancrorum, cammarorum, ranarum, teſtudinum, juvenci, & vituli; qua in notatione non ſolum phyſicam adhibuit, ſed etiam chymiam, cujus præſertim ope duo ſcitu utiliſſima vidit, primum, cruſtaceorum juri alcalicum principium ineſſe quoddam, quod aliis non ineſt omnibus, in his tamen implicatius eſſe, nec ita manifeſtum, ut in illo; ſecundum, in jure aliarum carnium gelatinoſam quamdam materiam deliteſcere, quæ & frigore cogi poſ-

ſit, & calore diffluat; mitiſque ſit; quæ materia in cruſtaceorum jure vel ſit nulla, vel certe propter adjunctum ſalem ſit diſſolutior. Ex quibus differentiis colligi debere dixit, non eamdem vim omnibus ineſſe, ut poſſint ad morbos promiſcue adhiberi, aut ſi quam habeant communem vim, ut edulcare pariter queant, aut nutrire, aut tale aliquid præſtare, non id tamen præſtitura eſſe omnia eodem modo. In medium etiam protulit, quæ de corporum diſſolutionibus obſervaverat, quæque probabant, metalla aqua ſtygia citius ſolvi in aere, quam in vacuo; idemque facere ſales, ſi frigida ſolvantur, ſi vero calida, ſolvi citius in vacuo; & hunc morem imitari camphoram quoque, & cancrorum oculos, hos vitrioli, illa vini ſpiritu ſoluta. His utiliora ſunt, quæ non multo poſt de frumento, & farina differuit ad rem cibariam illuſtrandam, quod ſtudium phyſico digniſſimum putavit, quia in eo res agitur & ægrotantium, & bene valentium. Invenit porro Beccarius non ſolum in multis farinarum generibus, ſed etiam in unius, ejuſdemque triticeæ farinæ parti-

partibus miras diſſimilitudines ; & præſertim illud admiratus eſt , quod nemo ante ipſum viderat , illarum partium unam ſic eſſe , ut nonniſi ab animantium corporibus proficiſci poſſe videatur . De viperinarum carnium natura, proprietatibus , atque uſu in Medicina ea protulit , ut omnes judicaverint obſervationum numero , reliquos , qui in hac re laborarunt , ſuperaſſe , & diligentia nemini inferiorem fuiſſe . Doluit tamen Beccarius hiſce ſuis obſervationibus non potuiſſe tantum luminis , quantum ſperabat , Medicinæ afferre . De hac re in primis monendos eſſe Medicos putavit , gelatinoſam quamdam naturam viperinis carnibus contineri , quæ , quamvis non ab illa admodum aliena ſit , quæ animalibus aliis ineſt, diſſimilitudines tamen habet aliquas , illam in primis , quod ſit mobilior , minuſque cohærens, & ad impediendum , ne ſerum ſanguinis cogatur , magis apta . Sic facile idem ſibi perſuadebat , vim omnem viperarum ad cutis vitia emendanda , tranſpirationemqne adjuvandam in gelatinoſa illa natura poſitam eſſe . Plurima a ſe inſtituta experimenta de dactylorum

lorum luce explicavit, ex quibus intelligi potuit, quæ res eamdem illam lucem vel tueantur, vel amplificent, vel etiam extenuent, aut penitus tollant. Poſtea de hac ipſa re ſane elegantiſſimum commentariolum Italica lingua compoſuit, in quem non ſuas modo, ſed aliorum quoque Academicorum obſervationes retulit. Ea diſſertatione, quam habuit de motu inteſtino corporum fluidorum, fecit, ut non amplius controverteretur a vero erraſſe illos Philoſophos, qui docuerunt, corpora, quæ fluunt, minutiſſimarum partium motu perpetuo agi; quem motum, quod eas ſurſum deorſumque, huc atque illuc quaquaverſum urgere, atque agitare arbitrabantur, *turbativum*, ſeu *agitativum* vocare ſolebant. Hiſtoriam uno libello complexus eſt morborum, qui an. MDCCXXIX. Bononiæ, ejuſque in agro dominati ſunt; nec non rheumatiſmi ſane infeſtiſſimi, qui per idem tempus Provincias multas afflixerat. Opus cum ad manus perveniſſet illorum, qui ſe *Naturæ Curioſos* appellant, locum ei dederunt tertio in volumine ſuorum Actorum, quod in ipſo eſſet non mediocris

copia

copia & latinæ elegantiæ, & medicæ doctrinæ. Utinam reliqui omnes Medici in deſcribendis ſuæ Provinciæ morbis Beccarii exemplum imitarentur; qua re porro de facultate, quam profitentur, optime mererentur, ſuorumque utilitati plurimum conſulerent. Inter hæc accidit, ut Cardinalis Proſper Lambertinius, qui totus erat occupatus in ſcribendis libris de hominibus in Sanctorum numerum referendis, Academiam *Inſtituti* conſuluerit, an miraculum putandum ſit, quod aliqui potuerint omni cibo, potuque ad longum tempus abſtinere. Hujus rei examinandæ, momentiſque phyſicis ponderandæ Academia negotium dedit Bazano, & Beccario. Sed cum Bazanus morbo impediretur, ſolus debuit Beccarius mandatæ rei onus ſuſtinere; cui tamen ſic ſatisfecit, ut plane & Academiæ, & Lambertinio ſe probaverit. Oſtendit ille tum experimentis, tum rationum pondere fieri naturaliter poſſe, ut jejunium quis trahat ad hebdomadas, & ſi vis etiam, ad menſes: verum tam longas inedias aut ipſas eſſe morbos, aut morbos, aut certe moleſtias afferre debere.

Ex

Ex quibus concludere ſe poſſe putavit, ſi jejunium longiſſimum quis ferat cum aliquo valetudinis detrimento, id in miraculis minime habendum. Sic Beccarius fecit, quod nemo inficias iverit fuiſſe perquam utile, ne in poſterum ſpecies miraculorum pro veris miraculis, quod antea ſæpe acciderat in illis diutinis jejuniis, facile venditarentur. Multum quidem, multaque cum voluptate in his ſtudiis, quibus naturæ inveſtigatio erat propoſita, detinebatur Jacobus Bartholomæus, ſed videbat ne ea vel minimum detraherent de ſumma diligentia, quam adhibebat vel in erudiendis diſcipulis ſuis, vel in Medicina facienda. Verſantur aliqui in ſtudiis ſcientiæ, cognitioniſque, ſed ita verſantur, ut nihil, aut parum admodum conferant ad communem hominum utilitatem. Hi profecto non intelligunt, virtutis omnem laudem in actione conſiſtere; vereque ſcriptum a Platone, non nobis ſolum natos eſſe, ortuſque noſtri partem patriam, partem amicos vindicare, quod ſapientiſſimum præceptum adeo novit, adeoque amavit Beccarius, ut vere mihi contendere poſſe videar, nil aliud toto vitæ

vitæ curſu ipſum egiſſe, niſi ut commodo, utilitatique non modo ſuorum civium, ſed & ceterorum hominum conſuleret. Quare minime eſt mirandum, ſi Bononienſes vel hoc ſolum nomine ſe ditiſſimos exiſtimarent, quod Beccarium haberent; & ſi aliquando tantus fuit eorum de illo amittendo timor (liberaliſſime enim ad docendam Medicinam in Patavino Gymnaſio invitabatur) ut non contenti ſuis officiis plenis ſuaviſſimi ſtudii ad illum retinendum, hæc quoque Summi Pontificis CLEMENTIS XII. auctoritate adjuvanda curaverint. Sed facile fuit retinere hominem patriæ, ſi quis unquam alius, amantiſſimum, cujuſque perpetua, ac ſingularis voluntas erga illam non ſinebat ipſum vel ad diem, quietis, & remiſſionis gratia, ruſticari. Hæc reſpiciens BENEDICTUS XIV. cum aliquando fuiſſet in deſiderio Beccarii, cui valetudinis ſuæ curam committeret, maluit propriam utilitatem deſerere, quam civem præclarum, & excelſum e ſinu, gremioque patriæ abſtrahere. Ipſa vero, ut gratum, ac liberalem animum ſuum eidem Beccario oſtenderet, plurimum auxit ſtipen-

ſtipendium, quod pro munere docendæ Medicinæ illi pendebatur: neque multo poſt cum in Archigymnaſio novum munus inſtituiſſet, cui propoſita eſſe debebat Chymicæ facultatis explicatio, ad illud Beccarium vocavit ſane honorificentiſſimis decretis, honeſtiſſimiſque conditionibus. Chymiam ab ipſa adoleſcentia ſtudioſiſſime excoluerat Beccarius, quod vere intellexerat, magnum in ea habere præſidium Medicinam. Illam autem ipſam facultatem, ſocio, & adjutore Heraclito Manfredio exercebat in *Inſtituto* ab anno MDCCXXXIV. quo tempore Phyſici partes deſeruit. Talem igitur ſe geſſit in novo munere, ut facile omnes illum & exercitatiſſimum, & ſcientiſſimum magiſtrum agnoſcerent. Hoc vero ſibi propoſuit, ut ea auditoribus ſuis explicaret, quæ lumen afferrent Medicinæ; quam facultatem & privatim tradere, & publice exercere nunquam ceſſavit. Ægrota cubabat in obſcuriſſimo conclavi mulier quædam nobilis. Hæc Beccario ad ſe venienti, & ad lectulum pedetentim, ut fit in tenebris, accedenti, quid eſt, inquit, quod tibi nitet? Mihi vero nihil

hil, reſpondit Beccarius. Eſt profecto, inquit illa, quod tibi nitet in manibus; quod cum affirmarent quoque duo alii, qui aderant, ſenſit Beccarius fulgere adamantem egregia forma, & magnitudine, quem gerebat in annulo. Tum ille: Næ tu, mulier, Philoſophiam præclaro invento hodie locupletaſti. Feciſti enim, ut intelligerem adamantem acceptam extrinſecus lucem retinere, quod de aliis rebus ſæpe audivimus, de adamantibus nunquam. Porro rem hanc caſu objectam, ſtudio, & labore amplificandam eſſe exiſtimavit Beccarius. Etenim, ut erat ſcientiæ cupidiſſimus, una re contentus eſſe non poterat. Vidit ergo longa experimentorum ſerie, gemmas alias, & finitimos his lapides nulla luce inſigniri; vidit non omnes adamantes phoſphoros eſſe, flavos maxime aptos eſſe ad accipiendam, retinendamque lucem; trahere hanc poſſe, niſi inertiſſimi ſint, non ſolum ab ipſo ſole, ſed a luna quoque, a flammæ radiis, & ab aperto aere. Quæ dum ſedulo inſpiceret, notavit luminum differentias, eaſque res, quæ lucem augerent, ac deteriorem facerent; artemque

quaſi

quaſi quamdam invenit hujus lucis reſtituendæ, revocandæque, cum interierit, in quo ejus maxime cognita eſt induſtria. Voluit quoque tentare, ſecutus veſtigia Caroli Franciſci Fay, ſi poſſet cauſſam evolvere, quare adamantes alii lucem recipiant, alii non, alii majorem, minorem alii; ac primo viſum eſt ſibi poſſe illam probabiliter repeti a metallico ſulphure, cujus nonnihil eſſe in adamantibus ſuſpicabatur. Sed cum plurima, quæ ad hanc rem fecit experimenta, male vertiſſent, noluit amplius de lucis cauſſa, cujus inveniendæ deſperatiſſimam eſſe ſpem putavit, laborare. Rediit ergo ad ipſam lucem Phoſphororum, quam inveſtigare non ſolum in adamantibus, ſed in omnibus pene corporum generibus ſibi propoſuit. Animadvertit ille duo maxime ad Phoſphoros dignoſcendos requiri, primum, ut Phoſphori ipſi quam citiſſime a lumine in tenebras transferantur, deinde, ut qui de Phoſphoro vult cognoſcere, is ante in tenebris diu fuerit. De quibus rebus cum diligentiſſime ipſe ſibi caviſſet, potuit tam multos Phoſphoros invenire, ut illorum ordines fecerit, & quaſi in

in cohortes diſtribuerit. Neque contentus enumeraſſe genera corporum, quibus lux adhæret, qualitates etiam corporum varias recenſuit, quæ valent ad impediendam, aut juvandam lucis adhæſionem. Tales præſertim ſunt humiditas, ſiccitas, calor, & frigus. Quas omnes res tam copioſe, tam eleganter, tam docte ad Academicos prius retulit, mox duobus commentariis expoſuit, ut permagna ex iis facta ſit acceſſio & Beccarii gloriæ, & phyſicæ facultati. Laudem quoque non mediocrem reportavit ab iis, quæ juſſu Academiæ diſſeruit de *ſedimentis* illius aquæ, quæ prope Recobarium in Vicetina regione ſcaturit; & dum nominis ſui immortalitati proſpiceret tam multa contulit in Academiæ, & *Inſtituti* ornamentum, ut utrumque horum pro ſummis Beccarii in ſe meritis ſummos quoque ei reddere honores magnopere cuperent. Ex quo factum eſt, ut cum ineunte an. MDCCL. Matthæus Bazanus, qui primus fuerat *Inſtituti* Præſes, deceſſiſſet, non ſolum delatum hoc honorificentiſſimum munus Beccario fuerit, ſed ei quoque raro exemplo permiſſum, ut eodem

 tem-

tempore, quo rem univerſam gereret, chymicam etiam exerceret. Legibus enim cautum eſt, ne unus duobus ſimul fungatur muneribus. Præfuit ei poteſtati Beccarius admirabili ſedulitate, atque prudentia: tantum autem chymicæ ſcientiæ laude crevit, ut nemo ei par in Italia poneretur. Ex omnibus ejus chymicis diſquiſitionibus eæ in primis habentur in pretio, quæ jurium varia genera, frumenti & lactis naturam explicant. De quibus prioribus, quoniam ſatis multa ſupra narravimus, reſtat ut de lacte pauca dicamus. Exiſtimaverat Boerahavius lactis naturam ſalium omnino expertem eſſe; neque levis erat conjectura illa, quod in bubulo recentiſſime mulcto, admixto alcali ſive fixo, ſive volatili, aut affuſo acido quovis, illum non efferveſcere, ſed tantummodo perturbari, & aliquatenus ſpiſſeſcere vidit. Adde, quod diſtillatio ipſa ſalem nullum prodiderat. Rem diligentius, ſubtiliuſque ſcrutatus Beccarius, comperit, neque lacti, neque ſero alcalicum illum abeſſe ſalem, quem volatilem vocant. Similiter id ipſum reperit, quod fruſtra quæ-

ſierat

ſlerat celeberrimus chymicus Maquerus, in caſeo. Quæ vero experimenta patefecerint inventa hæc, idem exponit opuſculo quodam, cui locus datus eſt in Tom. V. par. 1. rerum, quæ ad Academiam *Inſtituti* pertinent. Cum eſſet in illo, in quo diximus, dignitatis gradu collocatus Beccarius, ejuſque occupationes cum ætate quotidie ingraveſcerent, videbatur aliquid remiſſurus de ſumma opera, quam conferebat in erudiendos ſtudioſos adoleſcentes. Sed vir a labore invictus, & patientiſſimus tenuit conſuetudinem, inſtitutumque ſuum, ejuſque ſchola, atque domus referta ſemper fuit juventutis flore. Tanta autem patientia eo majorem admirationem habebat, quod ei natura dederat igniculos quoſdam, quibus ad iram, vehementeſque alias animi motiones facile commovebatur. Sed ille voluit exemplo oſtendere, quod ſæpe voce docebat, magis animi, quam corporis medicinam colendam, eoſque vere ſapientes, ac beatos eſſe, qui ſciunt diſtortis, & pravis mederi affectionibus. Idem æquabat omnes vigilantia in ſtudiis, cujus rei non mediocre eſt indicium, quod paucas horas pri-

 uſ-

uſquam moreretur, voluit notare altitudines barometrorum, & thermometrorum, quas ter in die obſervare conſueverat. Sic vir doctiſſimus multis, variiſque perfunctus laboribus acquievit an. MDCCLXVI. XV Kal. Feb. Sepultus eſt in Æde, cui nomen S. Mariæ *ad Baracanum*, cum hac inſcriptione.

A ☧ Ω

HIC REQUIESCIT
IACOBUS BARTHOLOMAEUS
BECCARIUS
INSTITUTI SCIENTIARUM PRAESES
MEDICINAE ANATOMES ET CHEMIAE
PROFESSOR EMERITUS
EX UTR. COLLEGIO DOCT. ART. LIBERAL.
VIR SAPIENTISSIMUS ET INTEGERRIMUS
QUI VIXIT ANN LXXXIII.
M. V. D. XXIV.
DECESS. XV. KAL. FEB. ANN.
M. D. CC. LXVI.
SOCIETAS S. M. AD BARACANUM
FRATRI AMANTISSIMO ET B. M. P.

Illius funus perhonorificentiſſimum fuit, idemque

que perluctuoſum. Solvit extrema officia amico, cognatoque cariſſimo vir omni liberali doctrina politiſſimus Flaminius Scarſellius, cum eum laudaſſet nobili, elegantique oratione. Amplam profecto ſegetem, & materiem laudandi præbebat is vir, in quem optime illa Xenophontea de Socrate quadrant: *illum maximum ſui deſiderium reliquiſſe omnibus, qui eum probe noſſent, virtutemque appeterent, eo quod eſſet ad virtutis ſtudium apprime utilis; fuiſſe vero ita pium, ut nihil inconſulto Deo faceret, ita juſtum, ut neminem ne minimum quidem læderet, juvaret vero plurimum omnes, qui eo uterentur; ita continentem, ut nunquam voluptatem honeſto anteferret; ita prudentem, ut nunquam erraret in melioribus ſecernendis a pejoribus, nec alterius ope indiguiſſe, ſed ſufficiſſe ſibi ad earum rerum omnium cognitionem, idoneum quoque ad eaſdem res ſermonibus exponendas, diſtinguendaſque, idoneum ad perſcrutandum, ad reprehendendos etiam peccantes, traducendoſque ad virtutem, & honeſtatem; talem denique virum fuiſſe, qualis eſſe poſſit vir vel optimus, vel feliciſſimus.*

Opera Edita.

LETTERA al Cavaliere Tommaſo Dereham intorno la meteora chiamata Fuoco Fatuo. Edita primum eſt in Societatis Londinenſis Tranſactionibus, mox in libro, cui titulus: *Saggio delle Tranſazioni Filoſofiche della ſocietà Regia dall' anno 1720. fino a tutto l'anno 1730. tradotte dall'idioma Ingleſe dal Cavaliere Tommaſo Dereham Tom. V. in Napoli 1734. per li Moſcheni e compagni in 4.*

DISSERTATIO Metheorologico-Medica, in qua aeris temperies & morbi Bononiæ graſſantes annis MDCCXXIX. & ſequenti deſcribuntur. Extat in volumine III. Act. Phyſic. Med. Acad. Naturæ Curioſorum pag. 142.

PARERE intorno al taglio della macchia di Viareggio. Lucca 1739. in 4.

DE LONGIS JEJUNIIS DISSERTATIO. Extat in appendice ad primam partem libri IV. *de Servorum Dei beatificatione, & beatorum canonizatione, auctore Proſpero Cardinali de Lambertinis. Patavii* 1743. *in fol.*

DE QUAMPLURIMIS PHOSPHORIS nunc primum detectis commentarius. Bononiæ 1744. *in* 4.

DE QUAMPLURIMIS PHOSPHORIS commentarius alter. Extat in tomo II. part. II. comment. de Bononienſi Scientiarum, & Artium Inſtituto, atque Academia. In his commentariis extant alia quoque opuſcula Beccarii, videlicet

DE MOTU INTESTINO CORPORUM FLUIDORUM. Tom. I.

DE MEDICATIS RECOBARII AQUIS Tom. III.

DE LACTE: Tom. V. In his voluminibus plura quoque referuntur de cogitatis, & experimentis Beccarii, quæ ſingula hic memorare ſupervacaneum putamus.

EPI-

EPISTOLÆ TRES MEDICÆ ad Franciſcum Roncallium Parolinum. Extant in hujus opere, quod inſcribitur: *Europæ medicina a ſapientibus illuſtrata & obſervationibus adaucta. Brixiæ 1747. in fol.*

SCRIPTURA MEDICO-LEGALIS. Extat in libro, cui titulus: *De potentia. vel impotentia ad generandum ob virulentam Gonorrhœam in Titii circumſtantiis conſideratam. Quæſtio medica habita in foro Mediolanenſi anno 1749.*

—— alia: *Sopra una mirabile iſtantanea guarigione impetrata da Dio per i meriti, come piamente ſi crede, di Caterina Biagiotti. Lucca 1759.* Narratur mihi extare quoque tria alia medico-legalia ſcripta Beccarii, quæ videre non contigit.

Opera Inedita.

INSTITUTIONES MEDICÆ in quinque libros diviſæ de medicina practica, de morbis trium ventrium, & de febribus.

CONSILIA MEDICA amplius cccc.

INTRODUCTIO ad chymicam, in qua agitur de principiis corporum.

OBSERVATIONES METHEOROLOGICÆ, quæ XL. & amplius annos complectuntur.

DISSERTATIONES Metheorologicæ duæ:

—— *De Flamma:*

—— *De Igne duæ:*

—— *De refrigeratione aquæ ob ſalium diſſolutionem:*

—— *De Solutione corporum:*

—— *De corporibus fluidis:*

—— *De Vitriolo:*

—— *De puteali aqua duæ*

—— *De perſpiratione plantarum*

PRÆLECTIONES ANATOMICÆ:

PRÆFATIONES VARIÆ.

THEOREMATA GENERALIA, & *qæſtiones nonnullæ de Phoſphoris*.

ORATIO in ingreſſu ad lecturam, De optimo dialectico inſtituendo:

—— *De Ariſtoteleorum dialectica*;

—— *De dialecticæ laudibus*;

—— *De laudibus Diætetica*;

—— *De neceſſitate tractatus de febribus*;

—— *De recentiorum medicorum praxi*.

GAE-

ANGELUS FABRONIUS

JACOBO FACCIOLATO

S. P. D.

Niſi tua ſingularis humanitas jam effeciſſet, ut ego haberer in tuis, ornatiſſime Facciolate, vel hoc ipſum ſatis eſſet, quod vitam explicaverim Herculis Franciſci Dandinii. Qui enim fieri poteſt, ut illum non complectaris, qui in omnium ætatum memoriam producere, quantum in ſe fuit, curavit facta hominis non ſolum Juris, ſed & multarum facultatum periſſimi, tibique longa conſuetudine, morum integritate, atque doctrina conjunctiſſimi? Habes cum his litteris illam ipſam vitam; & pro jure noſtræ amicitiæ a te peto, ut in ea legenda virgam expedias, & quæcunque tibi minus probabuntur corrigas. Intelligo enim quantum illi acceſſurum ſit ornamenti, & auctoritatis ex cenſorio judicio, & notatione iſta tua. Narratur mihi ſæpe te ſolere contemplari Dandinii effigiem, magnamque ex ea delectationem capere, quod illa tibi videatur renovare congreſſus veſtros, doctiſſimoſque ſermones. Vi-

nam

nam non ſolum corporis, ſed etiam ingenii, virtutumque ejuſdem viri imaginem in hoc commentariolo poſſis agnoſcere, quod eſſet ad levandum laborem, quem in illo emendando, perpoliendoque impendes, accomodatiſſimum. Ego quid a me tibi pro hoc, aliiſque tuis beneficiis rependi poſſit non video. Sed ſi quid evenerit, in quo tu perſpicere velis ſtudium, ac gratum animum erga te meum, efficiam profecto, ut intelligas, neminem tibi eſſe, quam ego ſum, amiciorem, atque gratiorem. Vale.

Romæ III. Id. Decemb. MDCCLXVI.

HERCULES FRANCISCUS DANDINIUS.

APud Cæſenates & antiquitate, & gloria majorum clara eſt Dandiniorum familia, quam ortam Senis nobiliſſima Ætruriæ urbe in magnis Senenſis Reipublicæ motibus in oppidum S. Archangeli primum, mox Cæſenam ſæculo XV. veniſſe hujus civitatis monumenta teſtantur. Ex hac familia procreatus eſt prid. non. Nov. anno MDCXCV. Hercules Franciſcus Dandinius; natale

tale vero ſolum habuit Anconam, quod ejus pater Hieronymus in hac civitate duxerat uxorem nobilem, & probatiſſimam feminam Margaritam Fazioliam. Non diuturnum hoc matrimonium fuit, cum mors Herculis quadrimi matrem, & cum ea maternam familiam e medio ſuſtulerit. Ex quo factum eſt, ut ejuſdem Pater in Urbe Veteri alteram duxerit uxorem e nobiliſſima gente Gualteria, ex qua plures ſuſcepit liberos. Hi omnes Patris diligentia bene inſtituti ſunt; ſed cum is videret Herculem docilitate ingenii reliquos ſuperare, Romam miſit, commendans & tradens eum fratri ſuo Anſelmo Dandinio, qui erat ex numero XII. virorum, qui in Collegio Signaturæ Juſtitiæ jus dicunt. Erat Anſelmus in adoleſcentes paullo difficiliori, atque ſeveriori natura, quem ſic veritus eſt Hercules Franciſcus, ut ad ejus arbitrium & nutum totum ſe finxerit atque accommodaverit. Tantum vero eidem obſequens evigilavit in ſtudiis humanitatis, ut in iis tempora quoque conſumeret, quæ alii concedere ſolent vel ad feſtos dies celebrandos, vel ad ludos, ceteraque

que obleſtamenta, vel ad ipſam animi, & corporis requiem. Hæ erant exercitationes ingenii, & curricula mentis. Quod quoque die legerat, atque a præceptoribus audierat, commemorabat veſperi: in adverſaria etiam conjiciebat quæque excellentiſſima, quæ ex variis ſeu Italis, ſeu Latinis, ſeu Græcis ſcriptoribus libaverat: nam eodem tempore tribus in his linguis erudiebatur, ſed præſertim Latina excolebat; & hoc maxime ad formandam ſibi Latinam orationem conduxiſſe arbitratus eſt, quod totos tres Ciceronis *de Officiis* libros Italos prius fecerit, mox Italos factos Latinitati reſtituerit. In his deſudans, atque elaborans in morbum incidit; cumque ſanguinem evomuiſſet, vehementer diuque ægrotavit. Vix recuperata valitudine, prætermiſſa litterarum ſtudia repetiit. Itaque triennium fere operam dedit cuidam Religioſo viro e familia Eremitarum S. Auguſtini, qui non vulgari cum plauſu Romæ Peripateticam Philoſophiam tradebat; mox ad rerum divinarum ſcientiam ſe applicuit, in eaque quadriennium verſatus eſt, magiſtro primum Ambroſio An-

ſano

ſano Tontuccio e Dominicana familia, mox Dominico Antonio Briccialdio e Societate Jeſu. His quidem doctoribus plurimum deditus fuit; ſed non propterea ullus dies illi ab exercitationibus humanarum litterarum vacuus erat. Tali modo cum ad nonum & decimum ætatis annum perveniſſet, admirabili quodam ad Juris prudentiam ſtudio concitatus, totum ſe tradidit viro ſummo Jano Vincentio Gravinæ. Hoc præceptore non ad jejunam & nudam Juris prudentiam ingreſſus eſt, ſed ad illam magnam atque uberem, quæ ad cognitionem legum hauſtam e fontibus adjungit omnis antiquitatis notitiam, verborumque elegantiam. Qua in facultate adeo Dandinius profecit, ut facile illum omnes poſſent Gravinæ diſcipulum agnoſcere. Magno quoque eidem adjumento fuit Patruus, qui in omni judicio, quod ſibi faciendum erat, Herculem non modo participem, ſed etiam adjutorem eſſe volebat: interdum etiam jubebat alicujus cauſſæ defenſionem ſuſcipere; neque his contentus ſtatis diebus ad ſe convocabat doctos homines, ſtudioſoſque adoleſcentes, quibuſcum

Her-

Hercules exercebatur in explananda, interpretandaque lege aliqua, diſputandoque in contrarias partes de omni, quæ poneretur, judiciali quæſtione. Hi labores, magni ii quidem, ceſſationem aliquam liberam, & plane otioſam poſtulare videbantur ab adoleſcente, cui tenuis erat valetudo. Sed tantus in eo reſidebat induſtriæ, ac ſcientiæ amor, ut ſoleret otii quoque, & ruſticationis tempus in ſtudiis conſumere. Hoc tempore multum verſabatur in lectione Ciceronis, aliorumque antiquitatis ſcriptorum, a quibus ſibi ſuppeditari ajebat, ubi aures dicendi barbarie, quæ in Foro dominatur, defeſſæ conquieſcerent. Quo vero ſtylum exercitatione acueret, aureum illud Joannis Caſæ opuſculum, quod *Galateus* inſcribitur ex Italica lingua in Latinam convertendum ſuſcepit. Difficillima profecto res eſt pro dignitate Latine repræſentare dictionis genus, in quo cum veneres pene omnes Italicæ orationis inſunt, tum ſententiarum conciſæ, humileſque comprehenſiones, quam rem cum ex Tranſalpinis hominibus duo Nathan Chitræus, & Nicolaus Fierbertus tentaſſent, multum quidem

dem abſuit, ut ii perfecti munus interpretis explerent. Nam neque periodi, ac numerorum ulla ab iis eſt habita ratio, nec ullius delectus in verbis, quæ propria, culta, immo quæ non barbara eſſent, adhibendis. Præter quam quod non ſemel iis in hac interpretatione conficienda aqua hæſit, ſic ut loca aliqua intentata reliquerint. Nihil eſt hujuſmodi, in quo accuſari poſſitDandinius; quin immo maximis ille extollendus eſt laudibus, quod talem elucubraverit *Galatei* interpretationem, in qua ubique incorrupta Latini ſermonis integritas apparet, & in qua tanta ineſt ſuavitas verborum, numerorumque, ut facile poſſis in ea quaſi pictam Caſæ in ſcribendo venuſtatem agnoſcere. Quemadmodum autem natura ex una re aliam educit ejuſdem generis, ſic labor, quem Hercules Franciſcus in *Galateo* impendit, laborem non diſſimilem procreavit. Itaque conſcribendos ſuſcepit Latinos Dialogos de quibuſdam officiis ad urbanitatem pertinentibus, ut eſſet unde ad ea, quæ in hoc genere *Galateus* tradiderat præcepta, corollarium adderetur. Quæ autem docuit in his Dialogis

logis Dandinius voluit illa exemplis declarare. Quare plurima Græcorum, Latinorum, Italorumque Scriptorum loca in medium profert, conferenſque ruſticitatem unius cum alterius urbanitate (fecit hoc idem Caſa in quibuſdam Dantis & Petrarchæ carminibus) quid cavere, quid ſequi nos deceat ante oculos ponit. Scribendi ratio, quam in his Dialogis adhibuit, eſt culta, pura, ſuavis, lenis, & preſſa, ſine inopia & jejunitate, ſatiſque apparet Dialogos Ciceronis Philoſophicos, quod & ipſe in Præfatione teſtatum voluit, ſibi propoſuiſſe ad imitandum. In primo Dialogorum, ut de ſingulis pauca perſtringamus, reddit, & exponit rationem, quare *Galateum* ex Italico Latinum fecerit; nonnulla quoque perſequitur de perfecta interpretandi ratione, & ſimul oſtendit rem eſſe magni laboris, ac difficultatis. In ſecundo multis probat rationibus, quarum pleraſque ab Ariſtotele mutuatus eſt, urbanitatem virtutem eſſe, ejuſque præcepta e morali Philoſophia deduci. Dicturus ſigillatim de quibuſdam urbanis officiis initium ab iis ſumit, quæ in ſalutatione, & in primis congreſſionibus obſervanda

vanda ſunt. His tertio in Dialogo expoſitis, tranſit ad ea, quæ ad ſermones, & ad ornatum ac geſtum corporis pertinent, in iiſque explicandis totus verſatur Dialogus quartus. Demum quintus tribuitur explicationi convivalis urbanitatis, de qua utiliſſima præcepta dat; neque negat plura eorum, illa præſertim quæ ſunt de convivali ſermone, ſe ex Plutarcho ſumpſiſſe, quoniam ejus convivia, magis quam aliorum antiquitatis Philoſophorum, ſunt exculta officiis urbanitatis. Neque eſt prætereundum, multa in his Dialogis occurrere, quibus auctor oſtendere conatus eſt, Virgilium in iis ipſis rebus, quas ab Homero mutuatus eſt, hunc longe multumque ſuperare (loca enim utriuſque inter ſe conferuntur) obſervatione decori, urbanorumque officiorum. Placuit Dandinio opus hoc inſcribere *Otium Aricinum*, propterea quod in Aricino illud elucubraverat iis feriarum forenſium temporibus, quibus ibi cum Patruo ruſticari ſolitus erat. At priuſquam hæc perficeret atque ederet, aliud conſcripſit opus, quod & ſibi & Patriæ glorioſum fuit. Etenim adnotationi-

bus illuſtravit Hiſtoriam Cæſenæ, quam Italice ſcripſerat Cæſar Brixius, & Franciſcus Maria Fancinus in Latinum verterat. Profecto Brixius nimis properans ac feſtinans pleraque in hac Hiſtoria nonniſi ſummatim attigerat, quæ ut dilatarentur, plurimum ad laudem illius Urbis intereſſe Dandinius putavit. Ille igitur multa in medium protulit teſtimonia ac monumenta, neque ea minuta, ſed gravia & grandia, quæ mirabiliter Brixium, reſque Cæſenatium illuſtrant. In his adnotationibus ſunt nonnullæ, quæ non ſolum explicant hominum res geſtas, ſed etiam qui fama, nomine excelluerint, & de eorum vita & natura haud pauca commemorant. Optaſſet Dandinius illuſtrium familiarum origines ſubtexere, ſed cum Brixius nullum ſibi ad hanc rem aditum dediſſet, ſuperſedendum duxit. His confectis adnotationibus, egit cum Batavis Typographis, qui curam ſuſtinebant edendi *Theſaurum Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiæ*, ut eæ cum Brixiana Hiſtoria in *Theſaurum* illum referrentur. Quod facile obtinuit. Quare autem idem ſub ficto Herclei Dinundæ nomine latere voluerit, non

ſatis

ſatis ſcio. Verum is ſuis Civibus diu haud potuit occultari. Hi pro tali munere in Dandinium grati nihil ſibi reliqui fecerunt, ut ſua in illum amoris, ac ſtudii conſtarent officia; ac præſertim honores eidem tribuerunt ampliſſimos eo tempore (id fuit anno MDCCXXIV) quo ille ad eos venit, ut lauream, ceteraque doctrinæ inſignia, acciperet. His ab eo acceptis cum præclaro indicio præſtantiſſimi ingenii & perfectæ eruditionis, in eam præſertim curam incubuit, ut valetudini conſuleret, patriique cæli aſpirationem adeo ſalubrem expertus eſt, ut qui non bene ſanus, graciliſque Roma profectus fuerat, valens, pinguique habitu ad eam ſeptem fere poſt menſes redierit. Hoc tempore magnam junxit amicitiam cum Alexandro Cecchinio viro non ſolum ſcientia Juris, quod in Urbe magna cum laude exercet, ſed etiam optimis artibus eruditiſſimo, & cum eo quaſi quamdam ſocietatem, & communicationem ſtudiorum inſtituit. Optaſſet ille per omnes recentiorum Juris Interpretum libros excurrere, ſperans ſe multa ab eorum fontibus poſſe haurire, quæ immenſam

ſuam proficiendi ſitim explerent , ſed obſtabat Patruus plus æquo antiquitatis amans, verenſque ne ab iis præſertim , qui Jus naturæ & gentium tractarunt, adoleſcens ſumma integritate & innocentia pravis imbueretur opinionibus . Itaque ſi quem horum Scriptorum is in manus ſumebat, occulto id facere cogebatur. Ab Juris exercitationibus disjungebat ſe interdum, ſeque ad manſuetiores Muſas referebat . Hinc Latinæ quædam Orationes ſane nobiles atque elegantes , quæ alieno nomine ſunt editæ. Vel antea jam Hercules Franciſcus dederat ſpecimen ſui ad eloquentiam ingenii in ea, quam an. MDCCXVII. in Patria habuit, Italica oratione de Principe Eugenio, laudans & efferens eum a fortitudine, prudentia, atque pietate. Idem cum cooptatus fuiſſet in Academiam Quirinorum, vernacula quoque oratione diſſeruit de antiquorum Fecialium jure, quæ quidem oratio & elegantia & eruditione omnibus probatiſſima fuit, aditumque ei patefecit ad amicitiam Cardinalis Laurentii Corſinii, qui eidem Academiæ præerat. Neque ſtudiis eloquentiæ contentus attigit Poeticen

cen

cen quoque, ſed quæ condidit carmina ſeu Itala, ſeu Latina, quamvis ea concinna ſint & elegantia, declarant tamen eum caruiſſe illo quaſi furoris afflatu, ſine quo Democritus, ut eſt apud Ciceronem, quemquam Poetam magnum eſſe poſſe negat. Interim Dandinius, jubente Patruo, conſilia inire cœpit ducendæ uxoris, duxitque in Patria an. MDCCXXX. Iſabellam Fattiboniam feminam virtutibus & nobilitate claram, cum qua ad extremum vitæ ſpiritum vixit conjunctiſſime, & ex qua undecim ſuſcepit liberos. Sexto menſe poſtquam has nuptias contraxerat Hercules, Patruum amiſit, a quo ex aſſe heres factus eſt. Hæc res illi cauſſa fuit magnarum perturbationum, propterea quod Pater in liberos, quos ex ſecunda procreaverat uxore, propenſior iniquo ferebat animo hos fratris ſui bonorum exheredes eſſe. Itaque non ſinebat Herculem niſi tenues ex hac hereditate percipere fructus, quibus vix ſe ſuamque familiam ſuſtentare poſſet. Quibus anguſtiis cum premeretur, maximum in ſua virtute, ſuiſque in ſtudiis levamentum reperiebat. Cum jam non amplius

Urbem cogitaret, ac ſedem domiciliumque ſuum in Patria collocaſſet, in hoc ſibi quam maxime elaborandum putavit, ut ſui cives eſſent opera, ſtudio, ac labore ſuo doctiores. Itaque domum ſuam tanquam ludum quemdam aperuit non ſolum Jus diſcere cupientibus, ſed etiam omnibus iis, qui ſe ceterarum doctrinarum, optimarumque artium amatores profiterentur; horumque utilitati, quo magis proſpiceret, eadem in domo ſua Academiam inſtituit, cui *Philomatorum* nomen impoſuit. Academicis leges quaſdam dedit; has vero ita ſcripſit, ut haud pauca earum verba retineant venerandam illam antiquitatis effigiem, quæ in XII. Tabularum legibus eſt expreſſa. In hoc quoque magnopere profuit civibus ſuis, quod omnibus de jure conſulentibus reſpondebat, quodque illo arbitro ac diſceptatore plures diremptæ ſunt lites. Accidit interea ut Cæſenates ſingularibus a CLEMENTE XII. ornati beneficiis (per eum enim gradus, honores, juraque ampliſſima, quæ ſibi adempta fuerant, recuperarunt) æternis vellent monumentis memorem ac gratum

tum animum ſuum teſtari. Itaque tanti Pontificis ſimulacrum e marmore in Prætorio poſitum fuit, & invitati ii, qui laude ingenii in ea civitate florebant, ad ejuſdem Pontificis munificentiam celebrandam cum ſoluta, tum obſtricta pedibus oratione. In hac re præcipuæ partes fuerunt Dandinii. Nam is Latinam attulit orationem; attulit quoque Latinum carmen, & elegiam, quæ quidem omnia ſcripta ſunt elegantiſſime & ſententiis & verbis. His ille rebus effecit, ut maxime coleretur a civibus ſuis. Multa quoque & ornate & honorifice de eo prædicabant abſentes, ad quos aut fama de illius doctrina, aut ipſius ſcripta pervenerant; florebatque jam doctiſſimorum virorum familiaritatibus. Sed non magis vir doctus, quam bonus paterfamilias haberi ſtudebat, quam utramque laudem collegit eo, quem ut filiis ſuis præſertim conſuleret, Latine & Italice ſcripſit Dialogo de ratione pueros adoleſcenteſque erudiendi in bonis artibus ac diſciplinis. Argumenti utilitas hortatur nos, ut plura de hoc libro referamus, quam inſtituti noſtri ratio poſtulare videtur.

Statuit primo delectum haberi oportere ingeniorum, quæ idonea ſint ad bonas artes ac diſciplinas adquirendas; hæc benigne liberaliterque inſtituenda, cum permagni referat, ut ſuos præceptores ament, & cum voluptate ſtudia litterarum excolant. Tranſit inde ad rationem docendi, tradendique præcepta, aitque hanc ita eſſe temperandam, ut brevis ſit, ut commoda, ut jucunda adoleſcentibus. Jure igitur ac merito eos vituperat, qui ſinunt pueros plures annos in unius Latinæ linguæ rudimentis conſumere, cum Latinæ orationis formandæ regulas ab uſu, & conſuetudine Latinorum Scriptorum petere neceſſe ſit. Hinc jubet pueros poſtquam capita quædam præceptorum grammaticæ perceperint, quæ certa ſint, firma, ac ſtabilia, ſtatim duci ad claſſicum aliquem Scriptorem, quem ſine intermiſſione verſent, memoriæ tradant, in Italicum ſermonem convertant, habeantque veluti unum ex familia, quocum magiſtri ope familiariſſime loquantur ac vivant. Explicat quibus gradatim libris uti illi debeant, exiſtimatque initio iis minime attingendos eſſe Poetas, ne-

ne poeticas locutiones ſolutæ orationi incaute admiſceant, & monſtra quædam pariant. Poſtea vero quam adoleſcentes in ſuavi non minus, quam utili elegantiſſimorum librorum lectione ita ſe exercuerint, ut jam non Latinam tantam orationem, ſed etiam illius veneres ſint aſſecuti, cenſetiis dandam eſſe operam Dialecticæ. Non tamen vult eoſdem miſere torqueri illis ſpinoſis diſputationibus, quas barbari quidam Scholaſtici invexere, quare ipſos delegat ad Arnaldi librum, qui inſcribitur, *Ars cogitandi*, aut ad *Inſtitutiones Logicas* Jacobi Facciolati. Morem diſputandi in contrarias partes non negat plurimum habere utilitatis ad acuenda ingenia, verum placere ſibi, ut ea in quæſtione ponantur, quæ pertinent ad hominum mores, aut ad civilem populorum ſocietatem. A Dialectica ducit adoleſcentes ad Geometriam, cujus inter ceteras utilitates illam potiſſimum recenſet, quod mentem ſic informet, ut hæc rectum ordinem agnoſcat ac ſequatur in omni ſcribendi loquendique ratione. Hoc confecto curſu, tunc jubet adoleſcentes ingredi ſtadium Rhetoricæ

ac

ac Poeticæ, quarum artium præcepta ex lectione maxime optimorum tum Oratorum, tum Poetarum haurienda eſſe putat. Optare ſe dicit, ut hoc tempore Græcas literas cum Latinis iidem conjungant; quædam, eaque utiliſſima allata Julii Pogianii viri docti epiſtola, diſſerit de recta ratione imitandi veterum ſcripta, cujus rei exempla permulta profert, quæ manu veluti ducunt adoleſcentes cum ad recte inveniendum, tum ad ſcribendum eloquenter. Hæc ſunt curricula, hæ exercitationes, in quibus ingenioſi adoleſcentes, qui manſuetioribus muſis initiari cupiunt, verſari debent. Neque iis quoque deeſt, qui ad majores facultates aſpirant, nempe ad Philoſophiam, reconditiores res Mathematicas (his tamen rebus ille non erat niſi leviter tinctus) Theologiam, Pontificium ac Civile Jus. Indicat enim quibus libris tanquam ducibus uti debeant; & hoc ignoſcatur velim Juriſconſulto, quod de ſola Juris prudentia plura tradat, quam de ceteris omnibus, quas memoravimus, diſciplinis. Nihil vero in hoc libro ponit Hercules Franciſcus, cujus continuo ratio-

tionem non proferat, quanquam paucis aliquando comprehenſam. Qua in re imitari voluit ſcientiæ Juris Civilis conditores illos elegantiſſimos Alfenum, Papinianum, Ulpianum, ceteroſque, in quibus aſſidue legendis fatetur ipſe multum ſe & poſuiſſe temporis, & hauſiſſe voluptatis. Satis de hoc libro dictum erit, ſi hoc unum adjunxero mihi affirmaſſe hominem, qui fuit intimus Dandinio, hunc auctorem eſſe Orationis de moderanda ſtudiorum ratione, quæ in eundem librum relata eſt, quæque Turrio in Archigymnaſio Romano Juris prudentiæ interpreti tribuitur. Quoniam vero hanc ſuſceperat perſonam Hercules Franciſcus, ut optimæ adoleſcentium inſtitutioni conſuleret, rem perquam utilem ſe facturum putavit iis, qui ad Juris prudentiam exercendam ſe applicuerunt, ſi rationem traderet declinandi immanes illos barbariſmos, quos perverſa conſuetudo in forum invexit. Quid ſunt porro *apodiare*, *retinere ſub manica*, *antidata*, *cavamentum*, *palata*, *unum petium terræ*, *depoſitare in banco*, *reportare ſuum recapitum ſeu receputam a bancherio*, *juvenis* ne-

negotii, *defectus non adimplementi tractamenti* , *tractamentum*, *repartimentum*, *deducere prætenſionem* , & innumera alia hujuſmodi fœdiſſima monſtra ? Hæc acriter perſequitur Hercules Franciſcus in eo quem confecit Dialogo, *de Forenſi ſcribendi ratione culta atque perſpicua* ; & ex Pandectarum libris , tanquam ex narthecio , promit medicamenta , quibus iſta ſanari poſſit contagio . Optandum eſſet quidem ne Dandinium forenſem barbariem emendare ingreſſum e curſu ipſo aliæ res tum privatæ tum publicæ revocaſſent . Eodem ferme tempore edidit commentariolum , *de ea diſtribuentis Juſtitiæ parte* , *quæ in præmiis largiendis verſatur* . Quærere ſolebat Dandinius , quid eſſet , cur , cum multa Theologi , Philoſophi , ac Juriſconſulti ſcripſerint de Juſtitia , hanc partem , in qua magna eſt laus atque utilitas , aut prætermiſerint , aut non niſi leviter tetigerint . Facturum igitur ſe operæ pretium exiſtimavit , ſi in id incumberet , ut oſtenderet , in præmiis largiendis certas Juſtitiæ regulas eſſe , quas negligi nec æquitas nec honeſtas patitur , adeo ut qui meritus honores non ferat

rat, tam conqueri poſſit, quam is cui pactum non ſervetur, aut data in ſtipulatione fides frangatur. Docte eruditeque examinat ad præmium obtinendum quid ætas, quid genus, quid majorum præclara geſta, quid natale ſolum, quid propria conferant merita; & quæ demum honorum petitio honeſta exiſtimanda ſit, & diſtribuenti Juſtitiæ conſentanea. Hoc porro commentariolum nuncupavit Triumviris Patavinæ Academiæ, totiuſque rei litterariæ Moderatoribus: rationem autem nuncupandi hanc ſe habuiſſe dicit, quod ii ſe præberent exemplum illius Juſtitiæ tum in eligendis viris inſigni doctrina præſtantibus, qui eo in Gymnaſio publice docerent, tum in præmiis pro cujuſque merito concedendis. Illi certe hanc laudem meruere, cum anno MDCCXXXV. eximio quingenorum florenorum præmio Herculem Franciſcum invitaſſent ad interpretandos eodem in Gymnaſio Pandectarum & Juſtinianei Codicis libros. Accepit ille conditionem, & quod eſſet honeſtiſſima, & quod illius accipiendæ ſuaſor eſſet atque impulſor Joannes Baptiſta Morgagnius vir ſibi maximis

amo-

amoris vinculis conjunctus. Patavium igitur cum uxore & liberis Autumno ejuſdem anni conceſſit; & quamvis vir modeſtiſſimus illa ſe commoveri exedra diceret, in qua præſtanti doctrina homines conſediſſent, talem tamen ſe præbuit, ut ſuperiorum gloriam aut vicerit, aut certe æquaverit. Ex quo factum eſt, ut ad ſtipendium quingenorum ſlorenorum ducena breve poſt tempus adjungerentur, utque ad impoſitum munus hoc quoque novum adderetur, explicandi videlicet quidquid Novellis Conſtitutionibus continetur. Ac ne quis forte quærat quam interpretandi viam ſecutus ſit Dandinius, juvat referre, quæ ipſe epiſtola quadam ad amiciſſimum ſuum Joſephum Torellum Veronenſem ſcripſit. *Noſti morem interpretandi meum. Cum enim in unoquoque titulo Pandectarum capita, ſive leges, univerſe quidem ad unum genus juris attineant; ſed tamen ſi ſpectentur ſingillatim, varia de uno genere juris argumenta complectantur, ſic diſtributa, ut diverſas in ſedes ea, quæ ſimilia ſint ac ſæpe eadem quoque, concurrant: Ego certas conficere claſſes opportunum cenſui, duas*

modo,

modo, modo tres, in quarum ſingulis convenientia inter ſe quæque capita collocarem: ne primo aliquid attingere, mox aliud diverſum, rurſuſque primum, deinde novum aliud; iterum ad primum, vel tertium reſilire, non ſine temporis diſpendio, & auditorum moleſtia, opus haberem: quem ordinem, a me nullo duce inſtitutum, indicant ex tabellæ, quas typis edo quotannis, exhibeoque ampliſſimis rei noſtræ Litterariæ Triumviris. Neque eſt prætereundum nunquam ſatis putaſſe legum ſenſum exponere, niſi ſimul oſtendiſſet, quibus ex fontibus illæ manaſſent. Hinc multa ex Græcis, & Latinis Scriptoribus depromebat, multa ab Hiſtoria, omnique antiquitate repetebat, & ſæpe etiam a Philoſophia ac præſertim morali lumen mutuabatur. Dixiſſes illum ſpoliare voluiſſe Grammaticos ſuis divitiis, cum ad enodandos juris laqueos vocum origines, rationeſque explicaret: non niſi utilia conſectabatur, & quotidie tamen aliquid minime vulgare, minimeque contritum adferebat: adjungebat ad hæc miram Latini ſermonis elegantiam, adeo ut ſi ipſa loqui poſſet Juris pru-

prudentia, non rectius, aut copioſius, aut ornatius, aut majori cum dignitate ſenſus ſuos explicatura videretur. Huic rei argumento eſſe poſſunt duodecim, quas anno MDCCXLI. in vulgus edidit, epiſtolæ ad Joſephum Torellum, quem paullo ſupra commemoravimus, *de Servitutibus Prædiorum*. Hæ enim continent eadem ferme illa, quæ anno ſuperiori in ſchola idem tradiderat, cum VII. & VIII. Pandectarum libros interpretaretur. Quas qui legent hoc maxime admirabuntur, quam acute atque erudite Auctor indagaverit illarum ſervitutum originem; quam ſcienter earumdem jura expoſuerit; quam nova multa attulerit de uſufructu illarum rerum, quæ ſunt in abuſu, de uſufructu navis, ſtatuarum, ac gemmarum, maſſæ aureæ vel argenteæ, ſeminarii ſive plantarii, arearum, ædium, harumque habitationis; quam expedite explicaverit difficiles in quibuſdam legibus nodos; quam facile ſpecie inter ſe pugnantes leges conciliaverit; & quam recte multos interpretum errores correxerit. Neque contemnenda immo ſcitu digna ſunt, quæ arrepta a tempore, in quo ſcribebat,

bebat, occaſione, cum lepide, tum ingenioſe differit de diſcrimine vocum *viridia*, & *viridaria*; & quocunque te vertas, ubique interiorum, ac reconditarum litterarum veſtigia agnoſces. Quapropter eos, quibus diſciplina Juris ſqualidum quiddam, ac deſertum videtur, facile erroris convinci poſſe arbitror, ſi ad has Dandinianas epiſtolas delegentur. Patavii cum eſſet dulcem quidem, & optatum capiebat fructum ex familiaritate, & conſuetudine Joannis Baptiſtæ Morgagnii, Joſephi Alaleonæ, Jacobi Facciolati, Joannis Antonii Vulpii, aliorumque clarorum virorum, quibus ſemper illud Sapientiæ domicilium abundavit. Ædes quoque frequentabat Card. Caroli Rezonici, qui tum Patavinam Eccleſiam, nunc Orbem terrarum, gentiumque omnium Catholicarum CLEMENTIS XIII. nomine ſapientiſſime, ſanctiſſimeque gubernat. Huic enim eximie carus, & jucundus erat, præſertim propter ſummam in Deum pietatem, ſummamque morum innocentiam. Atque hoc non auditum, ſed nobis ab ipſomet Pontifice Maximo teſtatum prædicamus. Nam cum is aliquando pro ſua ſingulari benignitate

paſsus eſſet nos ſecum loqui de viris doctrina claris, qui aut illuſtrant, aut illuſtrarunt Patavinum Gymnaſium, incidiſſetque in mentionem Dandinii, paucos ſe cognoviſſe dixit, qui cum eo integritate, religione, diligentiaque in liberis educandis certare poſſent; adeoque viri jucundiſſimi, & ab adoleſcentia amiciſſimi obitu ſe commotum fuiſſe, ut nihil propemodum ſibi unquam acciderit ad dolorem acerbius. Sciunt porro omnes experti, quanta vis ſit in amicitia, ſi hanc ſimilitudo naturæ conjunxerit. Nec minus Hercules *Franciſcus* officia ſua præſtitit abſentibus amicis, e quibus maxime dilexit Jacobum Baſſanum Vicetinum, e Cæſenatibus Angelum Serram, Patricium Righium, Ferdinandum Ghinium, Stephanum Florevantium, e Provincialibus Sanctem Buchium, Joſephum Pintium, & Hieronymum Ferrium, ad eoſque cum laxatus erat curis, quas illi docendi munus afferebat, crebras, elegantiſſimaſque mittebat epiſtolas. Eſt in manibus hominum, quam ad Baſſanum ſcripſit de BENEDICTI XIV. Pont. Opt. Max. laudibus. Carolo Fattibonio non ſolum amicitia,

citia, ſed etiam affinitate ſibi conjuncto; cum lite implicaretur, ea tribuit, ut plura a parente proficiſci non potuerint. Nam jura illius ſcripto defendit, & quibus aliis potuit rebus juvit. Longum eſſet commemorare ſingulos, quibus in judicialibus controverſiis conſilia dedit plena prudentiæ, ac fidelitatis. Thomæ Emaldio Lugienſi paranti editionem elucubrationum Bartholomæi Riccii popularis ſui multam, & utilem operam præbuit. Nam illius politiſſimi Scriptoris vitam magna ex parte confecit, haud pauca inedita ſuppeditavit, & ut quam emendate, ac nitide Patavinis typis editio fieret curavit. Id intelligi volumus, nemini unquam, qui ejus ope indigeret, defuiſſe, quo fiebat, ut ejus amicitia omnibus eſſet cariſſima. Beatum ſe exiſtimabat ſi poſſet memor gratuſque accepti beneficii & eſſe & videri; quod autem ipſe tribuerat tamdiu meminiſſe videbatur, quoad daret. Neminem etſi laceſſitus unquam læſit, & in indulgendis peccatis facilem ſemper ſe præbuit; tanta vero erat patientia, ut nullus eum querentem audierit. At qui forti, & ma-

gno erat animo in rebus ſuis adverſis perferendis, facile cum in amicorum, tum in ceterorum hominum miſeriis lugebat. Sed hoc in eo propter ſingularem ipſius bonitatem minus fortaſſe mirum videri poteſt. Vere enim hoc Græci proverbio dicunt, bonos viros faciles eſſe ad lacrymandum. Si quis unquam fuit remotus & natura, & magis etiam ratione, atque doctrina ab inani laude, ſimulatione, atque oſtentatione, Dandinius profecto fuit; adeo vero ſimplex, & purus, ut vel ipſa fraudis, machinationis, atque avaritiæ nomina ignorare videretur. Quæ, aliæque virtutes eo magis delectabant, quod apparerent in eo cum ſpecie quadam liberali, hilari, & venuſta. Ludicra ſpectacula ab ipſa adoleſcentia fugit; & quo tempore plerique hominum ſolent feriati oblectationi indulgere, ille ſe in ſuam bibliothecam abdebat, ut aliquid aut legeret, aut ſcriptitaret. Ornabant hanc bibliothecam non modo feſtiva librorum copia, ſed etiam pictæ doctorum hominum imagines, quarum ſingulis appoſuerat brevem, ſed elegantem explicationem earum rerum,

quæ

quæ magis eſſent commemorandæ de vita illorum, quos repræſentabant. Magnorum virorum exempla maxime incitabant Dandinium ad illa æmulanda. Quapropter nunquam cogitare deſtitit, quibus aliis poſſet ingenii monumentis, quam ſuſtinebat, publici Doctoris dignitatem ornare. Suſceperat expoliendos Latinos Dialogos, quos ad emendandam barbariem forenſem deſtinaverat; multa ex annuis interpretationibus in lucem hominum edere parabat, quo libro *de Servitutibus prædiorum* alii comites darentur, ſed ab his, aliiſque laude quidem dignis rebus agendis eum abſtraxit mors, quam obiit VII. id. Novemb. añ. MDCCXLVII. Mortis cauſſa fuit apoplexis, quæ eum jacentem in lecto [nam febricula laborabat] corripuit. Sepultus eſt in Æde S. Ægidii, ut ipſe teſtamento præſcripſerat. In ſepulcro vero Joannes Baptiſta Morgagnius, qui in primis amiciſſimi hominis caſum doluit, hoc inſcripſit elogium.

 D. O. M.

D. O. M.

HIC SITA SUNT OSSA
HERCULIS FRANCISCI DANDINI
COMITIS ET PATRITII CÆSENAT.
PANDECTAR. COD. AUTHENTICOR.
IN PATAVIN. GYMNASIO
INTERPRETIS CELEBERRIMI
GENERE DOCTRINA MORIBUS
PRÆSTANTISSIMI
QUI VIXIT AN. LII
OBIIT AN. DOM. CIↃ. IↃCC. XXXXVII.
VII. ID. NOV.

Cæſenates non ſolum luctu, ſed etiam juſtorum pompa, cenotaphio, & monumentis litterarum tanti civis mortem honorandam decreverunt, quod ad memoriam patriæ laudis, & ad ſuperſtites excitandos ſpe gloriæ plurimum conducere ſunt arbitrati.

OPERA EDITA

ORAZIONE dello lodi del Sereniſſimo Principe Eugenio di Savoja per le vittorie riportate contro il Turco. Extat in libello, cui titulus: *Componimenti degli Accademici Riformati di Ceſena per le vittorie dell' Armi Ceſaree ſopra de' Turchi. In Faenza per Gioſeffantonio Archi Stamp. del S. Offizio* 1717. in 16.

CÆSARIS BRIXII ad CLEMENTEM VIII. Pont. Max. Urbis Cæſenæ deſcriptio a Franciſco Maria Faccino Cæſenate nunc primum ex Italico in Latinum ſermonem verſa, & Elchrei Dinundæ (hoc eſt Herculis Dandinii) *adnotationibus illuſtrata ac locupletata*. Extat in *Theſauro Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiæ edito a Petro Burmanno*, *Tom.* IX. *Par.* VIII. *quæ priorum Tomorum ſupplementi vicem præſtat: Lugduni Batavorum ſumptibus Petri Vander Aa, Bibliopolæ Civitatis, atque Academiæ Typographi*, 1723. in fol.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI CÆSENATIS OTIUM ARICINUM, ſive de Urbanis officiis Dialogi V: quibus accedit ab eodem ex Italico ſermone in Latinum converſus Joannis Caſæ Galateus: Romæ ex Typographia Antonii de Rubeis &c. an. 1728. in 4.

LEGES ACADEMIÆ PHILOMATORUM nuper in urbe Cæſenæ inſtitutæ Kalendis Januarii 1731. *Cæſenæ eodem anno*, in 8.

ORATIO, CARMEN, & ELEGIA, quæ laudes continent CLEMENTIS XII. Extant in libro, qui inſcribitur: *Alla Santità di noſtro Signore Papa Clemente XII. tributo di venerazione, e gratitudine della Città di Ceſena per li decoroſi ed utili privilegj dalla Santità Sua ad eſſa reſtituiti. In Padova* 1732. *preſſo Giuſeppe Comini*, in 8.

ERMINII AC MERANII DIALOGUS, in quo Erminius ad Filium ſuum erudiendum inſtitutionem pa-

rat, *Latine*, *idemque Italice conſcriptus*, *auctore Hercule Franciſcô Dandinio*, *Patritio Cæſenate*, *Comite & J. C. Cæſenæ typis, ac ſumptibus Franciſci Antonii Blaſinii Typogr. Epiſc.* 1734. in 4.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI Comitis, *& J. C. Cæſenatis*, *de forenſi ſcribendi ratione culta*, *atque perſpicua: Dialogus primus*, *Patavii* 1734. *typis Joannis Baptiſtæ Conzatti*, in 4.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI Comitis, *& J. C. Cæſenatis de ea Diſtribuentis Juſtitiæ parte*, *quæ in præmiis largiendis verſatur commentariolus ad interpretationem legis* XIV. *§. de honoribus*, *& §. Gerendarum de muneribus & honoribus*. *Patavii*, 1734. *typis Joannis Baptiſtæ Canzatti*, in 4.

HENDECASYLLABI ſane fluentes & nitidi *ad Catullum a Joanne Antonio Vulpio commentariis auctum & illuſtratum*: impreſſi ſunt cum eodem Catullo, *Patavii* 1737. in 4.

DE PONT. OPT. MAX. BENED. XIV. laudibus epiſtola ad Jacobum Baſſanum S. J. Patavii apud Joſephum Cominum 1740. in 8.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI Comitis & J. C., *& in Patavino Gymnaſio Pandectarum*, *Codicis Juſtinianei*, *& Novellarum Conſtitutionum interpretis*, *de Servitutibus prædiorum Interpretationes per epiſtolas ad loca quædam libri* VII. *&* VIII. *Pandectarum illuſtranda pertinentes*. *Veronæ typis Seminarii* 1741. in 4. magno.

PETRO

PETRO METASTASIO

ANGELUS FABRONIUS S. P. D.

Multa quidem ſunt, quæ Jani Vincentii Gravinæ nomen illuſtrant, ſed nihil eſt ad laudem illuſtrius, quam quod te, Vir immortalitate digniſſime, ad magnarum artium diſciplinas, & ad omne officii munus inſtruxerit. Etenim non mediocris pars in illum derivatur præclaræ famæ, atque exiſtimationis, quas meritiſſimo ab omnibus collegiſti hominibus; & extincta videntur maledicta, quæ in eumdem contumelioſiſſime conjecta ſunt, ex quo te virum ſummum educavit, & in lucem hominum protulit. Quod quidem nemo ignorare poteſt; cum ſemper in ore habeas Gravinæ nomen, & in omni ſermone multa & ornate, & honorifice de illo prædices, eique in primis referas accepta, quæ in te homines maxime admirantur, animi bona, præſtantiam in Poeſi, multas litteras, reconditas, & exquiſitas. His præconiis tuis aveo mea quoque adjungere, ornatiſſime Metaſtaſi, non quod tecum auctoritate con.

contendere me poſſe putem, ſed quod magnopere peccare viderer; ſi ingreſſus ſcribere de Italis doctrina excellentibus, qui noſtra, & patrum memoria floruerunt, Gravinam prætermitterem. Quæ vero in hujus viri moribus, vitæ conſuetudine, & ingenii monumentis explicandis ſcripto mandavi, a te etiam atque etiam peto, ut limato, ac polito judicio tuo expendenda ſubjicias, cui ſi erunt probata, omnibus ſe fore probata debent ſperare. Magnam quoque fidem, auctoritatem, & firmamentum adjungere poterit iis rebus, quæ a me de illo narrantur, confirmatio tua propter domeſticum uſum, conſuetudinem, omniumque rerum communicationem, ſocietatemque, quæ tibi cum eodem fuerunt. Itaque cum intelligent homines nihil eſſe in hoc commentariolo, quod Metaſtaſius diligenter non examinaverit, comprobaveritque, Gravinæ non ſolum a me præconium tributum, ſed etiam grave teſtimonium impertitum clari hominis, doctiſſimique judicabunt. Reliquum eſt, ut tibi declarem, te a me mirifice obſervari, & coli; nihilque me arden-

dentius cupere, quam ut in numerum tuorum adſcribi merear. Vale.

Romæ Kal. Februarii MDCCLXVII.

JANUS VINCENTIUS GRAVINA.

ROGIANUM eſt oppidum pervetus in Brutiis non procul a Conſentia, idemque frequens. In hoc oppido parentibus quidem honeſtis Januario Gravina, & Anna Lombarda natus eſt Joannes, ſeu ut ipſe maluit, Janus Vincentius Gravina XII. Kal. Fab. an. MDCLXIV. Hic primam ætatulam domi conſumpſit, ibique poſuit rudimenta illarum artium, quæ repertæ ſunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingantur, & virtutem. Mox a Patre Scaleam ductus eſt ad Gregorium Caropreſium, virum præſtantem optimis artibus, & doctrinis, eique in diſciplinam traditus. Dici non poteſt quam præceptori carus fuerit non minus propter propinquitatem [hunc enim amitinum habebat] quam propter mores, ingeniumque docile, come, & ad omnia aptum. Porro Gravina

res

res fere innumerabiles ita celeriter percipiebat, ut non tum primum percipere videretur, ſed reminiſci & recordari; perceptas vero ita firme retinebat, quaſi inſculptas haberet in animo. Hoc munus fuit naturæ; illud vero fortunæ, quod in illum inciderit magiſtrum, a quo non in perverſo, ut ea ferebant tempora, dicendi, ſcribendique genere erudiretur, ſed in perfecto; doceretur que fugere Peripateticæ Philoſophiæ auctoritatem, quæ una tunc in ſcholis florebat, ac dominabatur; contra vero, Renati Carteſii diſciplinam amplecti. Quod & fecit, iis a Geometria adjumentis acceptis, ſine quibus nulla acies humani ingenii tanta eſt, quæ penetrare ad Recentiorum Phyſicam poſſit. Eodem quoque Caropreſio auctore, atque interprete, ſæpe ſumebat in manum Bernardini Teleſii, & Petri Gaſſendi libros, qui libri Parmenideam, & Epicuream Philoſophiam prope dimiſſam revocarunt. His copiis cum eſſet inſtructus Janus Vincentius Neapolim a Caropreſio mittitur, eo conſilio, ut ibi Juris prudentiæ in primis ſtuderet. Itaque eum commendavit, & tradidit Seraphino

Biſcar-

Biſcardo Conſentino, qui tum in Neapolitano foro Juriſconſultorum princeps numerabatur. Neque hoc contentus, illi tantum pecuniæ, quantum ſatis eſſet ad honeſte ſuſtentandam principe in urbe vitam, aſſignavit. Biſcardus priuſquam adoleſcentulum ad Juris prudentiam duceret, voluit eum renovare ſtudia litterarum Græcarum, & Latinarum, ac præſertim eloquentiæ, quamquam in iis artibus ipſum a pueritia plurimum profeciſſe non ignoraret. Hoc enim magnopere ad id, quod volebat, conducere arbitrabatur. Audivit ergo Gravina Gregorium Maſſerium, alioſque, quorum nomen eſſet celebratum, illarum facultatum magiſtros. Hoc tempore dicitur duas Italico ſermone condidiſſe Tragœdias, quarum alteram *il Criſto*, alteram *il S. Atanaſio* inſcripſit, & quaſdam etiam umbratiles compoſuiſſe orationes. His, aliiſque exercitationibus, ac ſtudiis cum ſibi non ſolum acuiſſet, ac procudiſſet linguam, ſed & compleviſſet pectus maximarum rerum, & plurimarum copia, atque varietate, impulſus eſt a Biſcardo ad amplectendam Juris prudentiam. Recuſavit primum, quod non

minus

minus illum ad ſe alliceret mira quædam ſuavitas, ac delectatio, quam ex manſuetioribus Muſis, ac Philoſophia percipiebat, quam deterreret præjudicata opinio, omnia in Juris prudentia plena eſſe erroribus, barbarie, ac colluvie. Ad hanc opinionem convellendam uſus eſt Biſcardus rationibus, atque exemplis, quæ quidem, accedente præſertim tanti viri auctoritate, ſatis apud Gravinam habuere momenti, atque ponderis. Ex quo factum eſt, ut non dubitaverit amplius ad Juris prudentiam ſe conferre. Poſt autem adhibitis præclaris doctoribus, ſtudioſe & multum volutatis non ſolum legum libris, ſed etiam celebrioribus illorum interpretibus, ac præſertim Accurſio, & Cujacio, incredibili quodam illius ſcientiæ perfecte tenendæ ſtudio flagravit. Quod quidem ſic ei ſucceſſit, ut anteferretur eidem nemo, perpauci pares putarentur. Juris ſcientiæ tamquam ancillulam, pediſſequamque adjunxit Gravina omnis antiquitatis, ac præſertim Romanæ cognitionem, in qua adeo proceſſit, ut nihil fere reperiri poſſet, quod ei eſſet incognitum. Et quia interdum uti-

utitur Juriſconſultus ſubſidio Theologiæ in iis præſertim cauſſis, quæ ad Jus Pontificium ſpectant, idcirco Gravina huic quoque ſcientiæ haud mediocrem operam dandam putavit. Ut vero nulla intermiſſio fieret illorum ſtudiorum, quæ a pueritia excoluerat, quotidie diligenter legebat illos non ſolum dicendi, ſed etiam intelligendi graviſſimos auctores, & magiſtros Platonem, & Ciceronem. Magnis quidem in laboribus ſe exercuit Gravina eo tempore, quo Neapoli commoratus eſt; cui rei illud indicio eſſe poteſt, quod nunquam pedem domo extulit, niſi quatenus aut religio, aut ſtudia ſua poſtulabant. Ex vehementi vero, ac continua lectione, meditationeque erupit ſtomachi, ac viſcerum morbus, quo ille reliquo vitæ curſu ſæpe, ac præſertim ſolſtitiorum tempore afflictatus eſt. Hic cum arctiſſimam junxiſſet conſuetudinem cum Dominico Auliſio ſumma eruditione homine, eo ſocio, & adjutore utebatur, quo facilius longam viam conficeret, quæ ad Sapientiam ducit. Cumque in hac longius proceſſiſſet, aliis bonæ indolis adoleſcentibus monſtrare non recuſa-

cuſabat, qua illis quoque ingrediendum eſſet, & quale illud eſſet, quo ipſe perveniſſet. Hæc res materiem fortaſſe dedit inimicis Gravinæ, ut illum calumniarentur, Neapoli inſtituiſſe ſodalitium, quod habebat quamdam *Lucis Univerſalis* doctrinam, qua una ad omnium rerum cognitionem facile perveniri poſſe ineptis hominibus perſuadebatur. Aliquot jam erant anni cum Gravinam mirum tenebat deſiderium viſendæ Urbis; idque perficere non antea ei licuit per Caropreſium, ex cujus voluntate pendebat, quam ineunte anno MDCLXXXVIII. Romam cum veniſſet, domo exceptus fuit a Paullo Coardo Taurinenſi, & apud eum plures annos commoratus eſt tamquam apud fratrem. Quæ vero cauſſa impulerit Coardum, ut tam liberaliter ſe gereret in Gravinam, num amici alicujus commendatio, an opinio quædam, quam haberet de illius doctrina (multum enim & litteras, & litteratos homines amabat) non ſatis liquet. Domeſtico hoc præconio brevi Gravina multorum doctrina excellentium virorum benevolentiam collegit; cumque ejus nomen tota jam celebraretur

tur Urbe, partam exiſtimationem non ſolum tueri, ſed etiam augere omni ſtudio contendit. Frequens aderat litterario cœtui, qui in domo Joannis Juſti Ciampinii habebatur; ac ſæpe ei data eſt occaſio oſtendendi in illo lumen ingenii ſui. Socium ſe adjunxit iis, qui de inſtituenda Arcadiæ Academia cogitabant; qua in re perficienda magni fuit ejus opera. Sexto vero anno, quo conſtituta erat Academia, cum placuiſſet ſcribi ea, quæ condita erant in Paſtorum inſtitutis, ac legibus, hæc res Opico Erymanthæo (hoc apud illos nomen habebat Gravina) mandata eſt. Confecto mandato ad priſcarum legum exemplum, cœtus univerſus Paſtorum convocatur, ad quos poſtquam Gravina Latinam orationem habuit ſapientiſſimis ſententiis, & gravibus verbis ornatam, quæ maxime commendabat ſimplicem, ac plane paſtoritiam eorumdem rationem, inſtitutionemque, nec non conſpirationem, & concordiam ad conſervandam inter ſe æqualitatem, propoſitæ fuerunt leges ſolemni illa formula *Velitis jubeatis* &c. Propoſitas leges Cœtus ſcivit, eaſque in marmore incidendas, & in Parrhaſio nemore figendas curavit. Laus,

quam ex harum legum ſcriptione hauſit Gravina, minime quidem vulgaris fuit. Sed hac tamen parum ille contentus, in multis epiſtolis ſuis ad amicos, nec non in familiaribus ſermonibus gloriari non dubitavit, ſe non modo ſcriptorem, ſed etiam conditorem earumdem legum fuiſſe. Hoc viſum eſt indignum Cuſtodi, ceteriſque Arcadibus, quorum offenſam in ſe voluntatem ut recuperaret Janus Vincentius, ſcripto declarare coactus eſt, *nihil ex ſuo ſenſu protuliſſe, aut veteribus inſtitutis adjeciſſe, ſed totum ex Arcadicis commentariis, in quibus quadraginta monitorum capita vernacula, & longiori oratione præſcripta erant, eruiſſe*. Sed non diutiſſime manſit hæc reconciliatio. Nam cum multi præclaræ indolis adoleſcentes domum Gravinæ frequentarent exercendi ſe cauſſa in litterarum ſtudiis, id ſuſpicionem movit Mario Creſcimbenio, qui primum locum inter Arcades tenebat, illos aliquid contra ſe occulte moliri. Dolebant hi quidem Arcadiam ſapientiſſimis ſtabilitam conſiliis, & inſtitutis eos evertere, qui poteſtatem, & honorem quinquennalem nimis diu in Creſcimbe-

nio

nio retinerent ; hunc videri appetere perpetuum dominatum ; hunc leges perfringere , quoniam in creandis Collegis , qui Cuſtodi adeſſe debent , tantum ſibi arrogabat , ut quos eligere meritiſſimo debuiſſet , præteriret , & eorum ſolum rationem haberet , quos ſibi amicitia commendabat . Hæc ex ipſius ore Gravinæ mitti arbitrabatur Creſcimbenius; ex quo fiebat, ut quotidie magis eorum voluntates a ſe invicem abalienarentur . Erupere tandem inter eos apertæ inimicitiæ ex eo die , quo judicatum fuit contra ſententiam Gravinæ , verba illa legis II. quæ eſt de creandis Collegis , *ſex in orbem eligito* , non ſignificare , ut qui ſemel Collega fuiſſet , hac poteſtate iterum fungi non poſſet , niſi illa prius ad ſingulos Paſtores in orbem perveniſſet . Qui Gravinæ ſententiam ſequebantur , acerbe invecti ſunt in hoc judicium , quod eam legem convellere dicebant , quæ eſt fundamentum , ac vinculum æqualitatis . Itaque omnes una & mente & voce conſenſerunt ad auctoritatem ejuſdem legis , & Arcadiæ libertatem defendendam . Hinc illa diſſidia , quæ in duas partes totam diſtra-

xerunt Arcadiam ; de quibus quoniam ſatis multa perſecuti ſumus in Franciſci Lorenzinii vita , illinc aſſumes , quæ ad hunc locum pertinebunt . Voluit Gravina quibuſdam abſentibus amicis ſuis, quorum magnum erat in Arcadia nomen , ſe purgare , ne ea , quæ ipſius Arcadiæ cauſſa egiſſet , in ſuam contumeliam verterent . Itaque ſcripſit epiſtolam ad Scipionem Maffeium , qua illum docuit , quod , & qua de cauſſa diſſidium factum fuiſſet ; ab eodemque petiit , ut Apoſtolum Zenum , & Bernardum Treviſanum de tota re certiores faceret . Sed admonendi ſunt lectores, ne putent, omnia ad veritatem in hac epiſtola perſcripta fuiſſe . Ac mihi quidem cogitanti lites , jurgia , contumelias , maledicta , quæ hanc diviſionem comitata ſunt , fatalis quædam calamitas accidiſſe Arcadiæ videtur : conſideranti vero laudabilem illam æmulationem , quæ acri ac vehementi incitatione utriuſque partis animos inflammabat ad primas in Poeſi tenendas , nullum occurit tempus , quod magis Arcadiæ ad poſteritatis memoriam glorioſum fuerit . In hac æmulatione præbuit ſe Gravina ducem , & magi-

gi-

giſtrum; invidebaturque ei, quod circum ſe ſemper haberet florem juventutis, cui gloriæ curſum monſtrabat. Sibi profecto placebat Gravina de hoc juvenum comitatu, inter quos eminebant Paullus Rollius, & Dominicus Octavius Petroſellinius, qui, quod emerſiſſent e barbarie, quæ ſuperiori ſæculo humaniores litteras infuſcaverat, omneſque pene homines miſere obruerat, unice ſe Gravinæ debere profitebantur. Hoc auctore, condidit Petroſellinius Poema, in quo habita quæſtio de interpretatione verborum *ſex in orbem eligito*, prolatumque a concilio Paſtorum judicium varie, lepide, elegantiſſimeque narrantur. Initio vero Poematis ea manu Gravinæ perſcripta vidi, quæ ſatis declarant, quam magni opus hoc, atque ejus auctorem faceret. Sed majora quoque ſunt, quæ ille tribuebat Alexandro Guidio, cum ſolitus eſſet dicere, neſcire ſe, an Italica Poeſis multis ſæculis parem habuiſſet ullum. Hoc præſertim in Guidio laudabat Gravina, quod genus Poeſis expreſſerit elegans, grande, claris, planeque novis conſperſum ſententiarum coloribus;

quodque primus homines docuerit declinare tum liberam, effrenatamque licentiam, tum ſervilem, ac cunctantem imitationem. De quo viro graviſſimum præſertim idem reliquit teſtimonium in eo, quod tertio anno, poſtquam Romam venerat, ſcripſit opuſculo de Endymionis fabula. Condiderat hanc fabulam Guidius juſſu Chriſtinæ Svecorum Reginæ; cumque illa in publicum prodiiſſet, contigit ei, ut in varias malevolorum, atque imperitorum reprehenſiones incurreret. Volens hos convincere Gravina, memoratum conſcripſit opuſculum, quod exorditur ab exagitandis iis, qui ope præceptorum quorumdam, & ſine ductu Philoſophiæ cenſorum perſonas ſuſtinere ſe poſſe putant. Inveſtigans inde quam lati ſint fines Poeticæ facultatis, hos eadem terminatione, qua univerſam rerum naturam concludi ait: illum optimi Poetæ munus implere, qui ſcit veris coloribus ad vivum exprimere actiones, mores, & affectiones hominum, & quidquid ex univerſitate rerum ſibi ſubjicit tamquam materiem, in qua verſetur: qua occaſione oſtendit

dit perfectum naturæ pictorem fuiſſe Homerum, ex noſtris vero Areoſtum, ac præſertim Dantem, in quo illud ſatis ſe mirari non poſſe ait, quod uno Poemate non ſolum humanas, civileſque res, ſed etiam divinas comprehenderit; quodque incredibili brevitate, atque evidentia omnes mores, conditiones, atque affectus repræſentaverit, ut non aliquam Poeſim, ſed picturam, verbaque in res ipſas converſa videamus. His, aliiſque præpoſitis, venit ad examen Fabulæ, quam ſic textam ait, ut ſine implicatione magnorum eventuum perquam attentos faciat auditorum animos. Sævo amore ſaucia Diana ſibi demereri Endymionem ſtudet, ſed ita, ut nihil admittat, quod divæ indecorum eſſe videatur. Quam belle, quam proprie argumentum hoc tractaverit Guidius; quam ſcienter expreſſerit Dianam modo ſe in amore effundentem, modo ſe continentem; quam mirabiliter immortale cum mortali, cæleſtia cum humanis copulaverit; quanta denique novitate, gravitate, copia, ac ſplendore ſententiarum hanc Fabulam Poeta diſtinxerit, pluribus perſequitur Gravina. Hunc voluiſſe

in Guidio commendando propriam ingenii gloriam conſequi, multa declarant, ſed illud in primis, quod moleſte tulerit, illud ſuum opuſculum loco non anteire Fabulam in impreſſione, quæ utriuſque habita eſt Romæ typis Komarekianis an. MDCXCII. Id ut aliqua ex parte corrigeret, ſimulavit apud Batavos recuſum fuiſſe librum. Sed ſola fronte ejus mutata, in qua primus conceſſus eſt locus Gravinæ, ſecundus Guidio, haud ſuſtineri ſimulatio potuit; inventique ſunt, qui Gravinæ ambitionem libere exagitaverint. Is in eo quoque a nonnullis accuſabatur, quod omnia, quæ de arte Poetica ſciebat, eo in opuſculo effudiſſet; quodque in laudibus tribuendis Guidio fuiſſet nimius, & tamquam prodigus. Porro ita comparatus natura erat Janus Vincentius, ut tum in laudando, tum in reprehendendo modum facile excederet. Sed raro laudatoris perſonam ſuſtinebat; ſæpiſſime reprehenſoris; & dum aliquid naſute diſtringebat, non ſolum liberum, ingenuumque faſtidium præ ſe ferebat, ſed etiam odioſam quamdam arrogantiam, ut interdum videretur omnes deſpicere, homi-

hominem præ ſe neminem putare . Hi mores multorum ei odium conciliarunt ; cumque eo accederet, ut iniquo, invidoque animo intuerentur nonnulli præſtantiam ingenii, ac doctrinæ, quam conſecutus erat, turbulentiſſimæ in illum ſunt excitatæ tempeſtates . Sed nulla major illa, quæ ipſi venit a Sectano, homine ſingulari ingenio prædito, qui ſexdecim ſcriptis, editiſque Satyris, Lucilii animam ab inferis evocaſſe videtur, ut Philodemum (hoc nomine Gravinam deſignat) omni crudelitate laceraret. Dici non poteſt, quam per manus virorum ſtatim volitaverint hæ Satyræ, & quod ſcriptæ eſſent elegantiſſime, & quod nihil tam eſt volucre, nihilque libentius excipitur, quam maledictum . De quibus ipſis quoniam plura perſequemur in Ludovici Sergardii vita, ad illum locum ſtudioſos Sectani delegamus. Gravina primo viſus eſt non ſatis commoveri animo ad ea, quæ in ſe jaciebantur; ſolituſque erat dicere, eſſe labem, & maculam ſuorum temporum virtuti invidere, & obtrectare ; ſed cum illius inimici non ſilerent, ſimulare amplius non potuit graviſſimam ſuam ægritudinem, ad

ad quam levandam ſcripſit declamationes quaſdam, ſeu Verrinas in Q. Sectanum, nec non Jambos, quibus de ſua vita illi conviciatori reſpondit, eique contumelioſiſſime maledixit. Noluit tamen Gravina hæc ſcripta lucem aſpicere, credo, quod intelligebat Sectani Satyrarum famam illa minime æquatura. Sed æquaſſent licet, non iis tamen indigebat ad obtinendam nominis immortalitatem, quam ei alia multa, eaque graviora ingenii monumenta compararunt; in quibus referendis ordinem ſervabo temporum, quibus illa ſunt edita. Palam dictitabat Gravina, præclaros mores, & ſanctiſſimam diſciplinam, quam a majoribus Chriſtiani acceperant, pravis opinionibus recentiorum quorumdam, qui ſe *Caſuiſtas* dicunt, corruptam fuiſſe; hos quaſi quoddam junxiſſe conjugium inter rationem bene pieque vivendi, & vitiorum illecebras; quapropter de Chriſtiana doctrina actum videri, niſi huic occurreretur malo. Dialogum itaque conſcripſit, in quo ipſa per ſe loquens Caſuiſtica cum Hæreſi declarat, quanta Catholicæ Reipublicæ importaverit detrimenta;
per

per quas vias ad illam penetraverit ; quos dolos, machinas, fallacias , ac præſtigias adhibuerit , ut purioris pietatis ſplendorem macularet;quanta denique ab ea, quam dicimus, *Probabilitate*, quamque Hydræ comparat, habuerit adjumenta,ut robur divinæ legis infringeret , hancque ad conſuetudinem,voluptatemque hominum accommodaret . Edidit Gravina hunc Dialogum ſub Priſci Cenſorini nomine, quod ad effugiendam offenſionem , atque indignationem illorum , quos male in ipſo Dialogo habuerat , opportunum eſſe putavit . Sed cum minime diu occultari potuiſſet , ferre debuit multorum malevolentiam ; hique , ſi non perfecerunt , magno certe ſtudio conati ſunt , ut liber ab iis , quorum poteſtas eſt , devoveretur . Interim Gravina , quo magis nominis ſui famam contra inimicorum invidiam , ac contumelias ſuſtineret , magnum , & arduum ſuſcepit opus , quo ſibi origines Juris civilis explicandas propoſuit . Diu multumque illud habuit in manibus . Sed ut in diuturno labore gloriam aliquam præoccuparet , anno MDCXCVI. edidit commentariolum , quod inſcripſit *ſpecimen priſci juris* , quodque fer-

ferme totum compoſuit ex iis rebus, quas in primo Originum libro fuſius tractaverat. Huic commentariolo quinque adjunxit alia, quibus præit *Dialogus de lingua Latina* ad Emmanuelem Martinum. In hoc Emmanuel, & Proculus diſputantes inducuntur, quantæ utilitatis, quantæque voluptatis ſit illam linguam bene ac perfecte tenere; quæ ejus fuerit origo, progreſſio, ac viciſſitudines; quam arcto fœdere cum Græca jungatur; quam longe multumque ſuperet varietate, numero, gravitate, vi, aliiſque ornamentis Italicam, Gallicam, ceteraſque omnes vulgares linguas; & quibus utendum ſit ſubſidiis, ut ad illius cognitionem facilius perveniatur. Quæ vero Auctor præfatus eſt ſatis declarant, quanta is invidia, & odio premeretur; & quam magno ſe beneficio obligatum putaret Emmanueli Martino, quod animadverſiones condiderit in Sectani Satyras, ut præſertim oſtenderet, non pauca eſſe in iis mendoſe, & inquinate ſcripta. Sequitur hunc dialogum epiſtola ad J. Gabrielem Reginarium *de converſione doctrinarum*, eaque Italiæ vicem

dolet,

dolet, quod dejecta de ſummo, altiſſimoque gradu, quem ſemper tenuerat in omni doctrinarum genere, quotidie magis in tenebras ruere videretur. Cauſſas quoque præcipuas affert hujus inclinationis; qui viri maxime ſuperioribus temporibus excelluerint, commemorat; fremitque eam eſſe ætatis ſuæ iniquitatem, ut non amplius virtuti, ſed maledicto, ſcribendique licentiæ, pravitatique (his verbis innuere certe voluit Sectani Satyras) plaudatur. Hiſce Gravinæ opuſculis quartum & quintum annumerantur epiſtolæ breves, ſed ponderoſæ [ſunt enim graviſſimis ſententiis refertæ] quas dedit ad Franciſcum Pignatellium Archiepiſcopum Tarentinum, cujus negotia idem Romæ procurabat, & ad Trojanum Miroballum *de contemptu mortis* unam, alteram *de luctu minuendo*. Sextum opuſculum, quod ad Cardinalem Boncompagnum Archiepiſcopum Bononienſem Gravina miſit, rationem aperit, quam veteres in fingendis fabulis habuerunt; docet, quanta vis ſit in his ad inſtruendos homines ad omne officii munus, eorumque affectiones commovendas; quantaque

in

in ipſis ſint incluſa ſapientiæ ſemina. Harum rerum occaſione, plurima, eaque utiliſſima dat præcepta de arte Poetica; unde, & a quibus diverſa Poeſis genera ſint orta recenſet; conferenſque virtutes Poetarum Græcorum, ac Latinorum, qui maxime in ſingulis generibus præſtent, diligenter perpendit, ac judicat. Cui opuſculo magna quidem ab intelligentibus viris data ſunt præconia; nec illud fuit ad laudem mediocre, quod Joſephus Rignoldus Gallus idem ex Italico in patrium ſermonem converterit. Diligentem inveſtigationem antiquitatis, in eo quod pertinet ad Theogoniam, ceteraſque Mythologiæ partes, fatetur Gravina pergratam occupationem habuiſſe, & mirabilis utilitatis fructum ſibi præbuiſſe ad noſcendam diſciplinam, ſcientiamque magnarum rerum, atque artium, ac præſertim eloquentiæ, quæ priſcis viguerunt temporibus. De quibus rebus longum opus texendi olim cogitationem ſuſcepit; ſed hanc abjicere eum coegit infinitus prope labor, quem in concinnandis ſuis de Origine Juris libris conſumebat. Acceſſit eo, quod an. MDCXCVIII. commendatione

ne Cardinalis Joannis Franciſci Albanii ab Innocentio XII. delatum eſt illi munus docendi in Archigymnaſio Romano Jus civile; quod quidem munus multum poſcebat operæ, & temporis. Etenim Gravina minime imitari volebat exemplum illorum, qui jejune, & exiliter quædam legum capita, judiciorumque formulas explicant, quique litigandi magis, quam juſtitiæ tardare videntur vias; ſed recludendos ſibi fontes propoſuit, unde univerſi juris, ac legum ortus, natura, ac diſciplina emanant. Itaque poſtquam ex inſtituto majorum ea dictaverat auditoribus ſuis, quæ magis ſunt in uſu forenſi neceſſaria, quæque in anguſtum locum concludunt permulta, quæ ſunt deſcripta Romanis legibus, & Jure civili, eoſdem modo in Lycei ambulationibus, modo in Academiæ ſpatiis, modo in Zenonis porticu exercebat; ſed præſertim ad veteres Hiſtoricos, Oratores, & Grammaticos ducebat, jubens ipſos ſedulo undecumque omnia colligere, quibus Juris prudentia fieri poſſet inſtructior, & ornatior. Hæc docendi ratio incurrit in odia, & voculas multorum, quibus ſocordia erat pro diligen-

gentia, quibuſque idem eſſe videbatur multum ſapere, & multum audere, multumque in foro clamare, dum impune lucrari poſſent. Adverſus hos nebulones, ſordidoſque Juris prudentiæ mercatores totos dies domi, & in ludo invehebat Janus Vincentius; ac ſæpe illud in ore habebat, ſi a Juris prudentia lumen Latinarum, & Græcarum litterarum auferretur, neceſſe eſſe, ut omnia denſiſſimis ignorantiæ tenebris ſepulta, atque obruta tenerentur. Nec Juris prudentiæ ſolum, ſed & ceterarum diſciplinarum, bonarumque artium cauſſam egit in multis, quas in inſtauratione ſtudiorum habuit, orationibus ad amatores ſapientiæ. Quæ quidem orationes, quamquam non ita ſæpe diſtinguantur eloquentiæ luminibus, neque ita libere fluant, ut nuſquam adhæreſcas, redundant tamen omni eruditionis genere, ſapientiſſimis Philoſophorum ſententiis, & ſaluberrimis præceptis, quæ ad ſtudiorum, vitæque iter recte gubernandum pertinent. Libenter quidem delaberer ad hæc commemoranda; ſed nolo eſſe longus, præſertim cum ad alia properem. Itaque præcipua, atque utiliora tan-

tantummodo attigero ; & medebor cum ſa. tietati, tum deſiderio lectorum. Cavendum eſſe ait, ne ingredientes ſtadium litterarum diu cum Grammaticis verſentur, ſed curandum, ut quanto citius fieri poteſt ducantur ad exercitationes Ludovici Vives, Phædri fabulas, & Terentii comœdias. Exerceantur poſtea in lectione metamorphoſeon Ovidii, hiſtoriarum Juſtini, & Livianæ epitomes, ut eodem tempore cognoſcant quidquid veri, ac ficti habeat antiquitas. Quo cognito, tum iis tradendus eſt Cicero, ceterique aureæ ætatis Scriptores. Qui Græcis ſtudent litteris, quas ſine piaculo a Latinis ſeparari non poſſe dicebat Gravina, poſtquam elementa quædam perceperint, adeant Homerum, quem qui norit, non modo Poetarum, ſed & Oratorum, Philoſophorum, & Hiſtoricorum linguam norit, quod hi omnes ab eo ſumpſerint lumina ſententiarum, & dicendi formas. Communiora Rhetoricæ præcepta e libris ad Herennium petantur. Illudit, & damnat Gravina ſpinoſa multa, & barbara, quæ in Dialecticam invecta ſunt. Negat, quidquam hanc artem ad

 in-

inveniendum conferre, eademque nos opus habere ad vera, & falſa dijudicanda. Quapropter non multum in illa immorandum; recteque judicandi ſcientiam e Geometria potius petendam. Studium Philoſophiæ commendans, quanta huic intulerint Peripatetici detrimenta, oſtendit; illum bene ſcienterque agere, qui diu noctuque habeat in manibus Platonem, cui uni e veteribus Philoſophis contigit, ut ſapientiam, veraſque de virtutibus, ac de Deo etiam opiniones aſſequi poſſet. Nullum bonum eſſe aut Oratorem, aut Poetam, qui idem non ſit Philoſophus: omnium enim bonarum artium procreatricem eſſe, & parentem Philoſophiam. Quam facultatem, illam præſertim, quæ de hominum vita, & moribus agit, ut & Philologiam, ſi quis velit a Juris prudentia ſejungere, idem facere videri, ac ſi animam a corpore ſegregaret. Qui Juri civili ſtudet, deligat ſibi aliquem legum interpretem, inter quos, tamquam ſolem minora inter ſidera, lucere Cujacium ſæpe inculcabat Gravina: fugiat vero, tamquam peſtem, ſcriptores illos, & magiſtros, qui con.

tro-

troverſias non legum codicibus, neque rationibus ductis e fontibus juris, ſed auctoritate, & aliorum erroribus definiunt; qui congerunt multitudinem ſterilium definitionum, atque ineptarum regularum; quique non alium agnoſcentes præceptorem præter ſcribam, & acutum legulejum, quales ſunt Ridolphiniſtæ, brevi tempore abſolutam Juris prudentiæ cognitionem adoleſcentibus impudentiſſimo ore promittunt. Nemo poteſt Jus pontificium tenere, qui non ſit Juris civilis peritiſſimus; quique illi ſtudio non præferat, tamquam facem, ſacrorum librorum, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitiam. In diſputando has inter ceteras ut ſervarent regulas diſcipulos ſuos monebat Gravina, ut abhorrerent a ſophiſtarum captionibus; perſpectam veritatem contentionis ſtudio ne oppugnarent; argumentum ſatis exploſum ne regererent; & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati eſſent; contra oppoſitam ſententiam lege aliqua repugnarent, legeſque legibus committerent; & in ſpeciem diſſidentes, abſtruſam ſententiam eruendo, in concordiam redigerent: ſi legum

repugnantia nulla eſſet, communes juris regulas opponerent; ſi hæ quoque deficerent, tum repeterent vetuſtum jus ex hiſtoriis, & morali Philoſophia; in forenſibus quæſtionibus agitandis Accurſianos, & in veris ſenſibus legum eruendis Cujacianos præferrent. Qui ſtudio legum jus aliis reddere, & alios regere addiſcit, ſcire quoque debet, quod eſt difficilius, jus reddere ipſe ſibi, & ſemetipſum regere. Coerceat igitur virtuti inimicas voluptates; Deum pie, caſte, ac religioſe colat; exerceat ſe in animi, & corporis patientia; divitias, atque honores contemnat; animi demiſſionem, modeſtiam, manſuetudinem, erga homines caritatem præ ſe ferat; harum, aliarumque virtutum exempla petat a Chriſto; hunc cogitet, & ad hunc ſe totum fingat, atque accommodet: caveat ab oſtentatoribus, & ſimulatoribus pietatis, & ab iis præſertim doctoribus, qui corruptis ſæculi moribus blandientes vim enervant divinarum legum, videnturque has perducere in poteſtatem ſuam. Satis de Gravinæ orationibus dictum erit, ſi hoc adjunxero, illum & reliquiſſe orationem,

quam

Digitized by Google

quam deſtinaverat Petro I. Moſchorum Regi, quem, cum Viennæ eſſet, fama ferebat Romam adventurum. Hoc unum videtur excipere in ſummis illius Principis laudibus, quod Catholicam Romanam Religionem minime ſuſcepiſſet, & in ſuum regnum tranſtuliſſet, ſine qua nullam ſanctam ſocietatem, nec fidem regni diu eſſe poſſe oſtendit. Docet etiam, quantum Romanæ leges conducant ad manſuefaciendos, excolendoſque homines, & ad conſtituendam inter eos conjunctionem, atque concordiam. Quinto anno poſtquam non magna auditorum frequentia, ſed magna certe doctrina, eruditione, ac ſermonis elegantia Jus civile docuerat Janus Vincentius, vocatus eſt ad tradendas in eodem Archigymnaſio Inſtitutiones Canonicas; nec multo poſt ei munus impoſitum interpretandi Gratianeum Decretum. Cum jam expertus videret Gravina, haud frenari poſſe adoleſcentes, quin ab Inſtitutionum ſchola quæſtus cupiditate moti ad forum continuo properent, ut huic malo quantum poſſet mederetur, Inſtitutionum fines proferre ſtatuit.

tuit. Itaque explicans non ſolum rerum capita, ſed etiam ſeriem; demonſtranſque fontes, unde leges fluxerunt, & in omnem ætatem inquirens, ut oculis auditorum ſubjiceret priſcam, mediam, ac recentem Eccleſiæ diſciplinam, illud efficiebat, ne plane inermes, atque imparati ii forum ingrederentur, utque haberent ſatis expeditam viam, qua per ſe ad pleniorem, & perfectam etiam, ſi vellent, cognitionem pervenirent ſacrorum Jurium, Conciliorum, ſcriptorumque veterum *Patrum*. Cum vero e ſuperiore loco deſcendiſſet, interrogantibus aut de pontificio, aut de civili Jure copiam ſui faciebat; & ſi quos ardere vidiſſet ſtudio humaniorum litterarum, eos domum ſuam invitabat, tamquam ad ludum, & officinam dicendi, ſcribendique. Neque his contentus, quo magis Juris prudentiæ ſtudioſorum utilitati conſuleret, exornandas, dilatandaſque ſuſcepit, quas in ſchola de ſcripto dictaverat, utriuſque Juris Inſtitutiones. Quod quidem opus abſolutum, ſi in lucem hominum exiret, libentiſſime exciperetur, ac laude multum vinceret libellos, quos de iiſdem Inſtitu-

ſtitutionibus antea ſcripſerat Gravina, ſed breviter, ſtrictimque, quoſque alii, illo inſciente, nec opinante, in vulgus edidere. Sed jam tempus eſt, ut veniamus ad tres libros de *Originibus Juris Civilis*; qui libri tanta eruditione, doctrina, ſententiarum pondere, atque elegantia abundant, ut ii ſoli æternitatem, immortalitatemque Auctori comparare potuiſſent. Et primo quidem libro, expreſſa prius quadam Romanæ Reipublicæ forma, diſſerit unde ſit orta Juris ſcientia; quatenus progreſſa fuerit vel novis legibus, vel prudentum interpretationibus, vel magiſtratuum edictis, vel principum ſanctionibus; quamdiu in altiore gradu ſteterit; qua de cauſſa inclinaverit; & qua ratione demum ſuus ei honos & ſtatus redditus fuerit. Quibus expoſitis, ordine enumerat qui auctores Jus conſtituerint, corruperint, & inſtauraverint, & de ſingulorum ſcriptis, doctrina, ingenio, vitaque haud pauca ſcitu digniſſima recenſet. In ſecundo aperit primordia Juris naturalis, & gentium, eaque ſecutus Grotium repetit ab honeſtate naturæ, quæ eſt divina illa in omnium cordi-

bus inſculpta, inque animis inſcripta lex. Initio libri quærit qui ſit boni & mali finis, quid natura ſequatur, quid fugiat, unde virtutes & vitia oriantur; concluditque non poſſe beate vivi, niſi ſapienter, honeſte, juſteque vivatur. Poſtquam hæc e media ſumpta Philoſophia explicavit Gravina, & originem patefecit ſocietatis humanæ, contractuum, jurium belli & pacis, civilis poteſtatis, imperii, & jurisdictionis, ortum perſequitur legum, quas diverſi antiquitatis populi ſibi ſtatue*runt*; ſed præſertim immoratur in interpret*andis*, & illuſtrandis, quas habemus, reliquiis Juris Papyriani, legumque XII. Tabularum. Tali modo proditis originibus pervetuſtis, & quaſi Juris prudentiæ cunabulis, tranſit in libro tertio ad recentiores, nempe ad leges, & Senatus conſulta, quibus priſcum, & privatorum præcipue jus (nam quæ ad Reipublicæ adminiſtrationem pertinent, cum nullius jam ſint uſus, vix attigit) aut deficiente ſententia XII. Tabularum augetur, aut temporum ratione aliter poſcente, mutatur, aut ubi obſcurum ſit, atque perplexum poteſtate totius populi expli-

explicatur. Haſce autem ipſas res ſimpliciter, & ſplendide tractavit Gravina, uſus oratione continua, tinctaque colore illo, & ſucco, quo veterum Latinorum libri ſunt imbuti. Crebras quoque intexuit ſententias; & dum laudaret Clementem XI. P. M. in epiſtola, qua opus hoc illi inſcripſit, tantam attulit majeſtatem, gravitatem, atque eloquentiam, ut verborum prope numerum ſententiarum numemero conſequatur, neſciaſque an quidquam fieri poſſit magnificentius. Quæ vero præfatus eſt tradunt adoleſcentibus viam directam, & quaſi compendiariam, qua facile, & jucunde ad Juris cognitionem perveniant. Igitur qui ad laudem Juris conſulti aſpirat, audiat Gravinam, eique obtemperet; neque unquam e manibus deponat hoſce tres *Originum* libros, qui ſuppeditare ei poterunt abundantiam & copiam omnis eruditionis, ac præſertim Latinæ, ſine cujus ſubſidio nemo eſt qui ad forum ſatis inſtructus & ornatus poſſit venire. Vehementer lætatus eſt Gravina, utpotequi laudis ſtudio maxime trahebatur, quod illud ſuum opus magnifice celebraverint ſcriptores

Acto-

Actorum eruditorum Lipſiæ , qua in urbe primum an. MDCCVIII. typis impreſſum fuit ; quodque horum , & aliorum doctorum hominum voce magna illico de ipſo fama ſurrexerit. Scriptores vero Ephemeridum Italiæ non ſolum laudarunt, ſed etiam ſextum in volumen ipſarum Ephemeridum intulerunt accuratam ejuſdem epitomen, quam contexuerat Scipio Maffejus. Inter multa, ac præclara, quæ de hoc ipſo opere facta ſunt judicia ab intelligentibus viris, illud graviſſimum reputari debet, quod habuit in epiſtola ad Gravinam homo certe diſciplina Juris civilis eruditiſſimus Joſephus Averanius. Quam plena manu, quam ingenue, quam ornate illud in aſtra extulit! Neque ejus laudes quicquam imminuere putavit, quod Auctor in eodem conficiendo multa ſumpſerit, & ſi vis, etiam ſurripuerit a Cujacio, Gothofredo, Manutio, & Sigonio. In tanta lætitia, quam ex ſuorum laborum præconio percipiebat Gravina, id dolere unice videbatur, quod Lipſienſes typographi illud ſuum opus plurimis, iiſque graviſſimis mendis commaculaſſent. Cui malo ut occurreret, egit cum Nea-

Neapolitanis typographis , ut idem recudendum ſuſciperent. Quod facile obtinuit. Igitur an. MDCCXIII. Neapoli iterum ſunt editi *Originum libri* , cui editioni ſane caſtiſſimæ maximum acceſſit ornamentum a libro *de Romano Imperio* , quem digniſſimum judicavit Gravina , ut ad tres ſuperiores adjungeretur. Hoc judicium comprobarunt docti omnes; nec defuerunt qui dicerent Gravinam *Originum* libris ceteros omnes ſuperaſſe , qui Juris civilis ortum tractarunt , ſcripto vero *de Imperio Romano* libro ipſum a ſe ſe ſuperatum . Juſtis de cauſſis imperium cunctarum gentium acquiſiiſſe Romanos demonſtrat, neque imperii conſtitutionem ſuſtuliſſe Reipublicæ ſtatum , ſed hujus regimen perrexiſſe lento progreſſu a vi , & poteſtate Regis ad Populum, a Populo ad Senatum , a Senatu ad unum non Regem , ſed Principem , quaſi in Republica & Senatu primum , qui nec Populi , nec Senatus jus omne ſibi vindicaret , ſed cum eo partiretur , & ab eo mutuaretur . Haud pauca exponit de præcipuis Romanæ Reipublicæ Magiſtratibus , ac de Senatus auctoritate ,

te, quæ ſunt veluti fontes, unde Jus imperatorium dimanat. Hoc a regio multum differre dicit, quod regium omnem poteſtatem, ex qua procedit, exhauriat, cum imperatorium tantummodo partem aliquam in ſe traducat. Extitit tamen Tribonianus, qui aſſentandi ſtudio legem extulit neſcio quam regiam, quaſi natam ex inſtitutis Romanorum, per quam omne jus, omnemque poteſtatem Populi Senatuſque Romani in Imperatores translatam eſſe contendebat. Hanc legem ſic examinat Gravina, ut non ſolum Tribonianum aſſentationis reum convincat, ſed etiam ex eadem lege graviſſima argumenta ducat ad amovendam ab Imperatoribus regiam poteſtatem, retinendaque jura Populi ac Senatus Romani. Poſtquam poteſtatem civilem a S. P. Q. R. manaſſe oſtendit, comprobat, ex eodem fonte manare militarem quoque, neque jura civitatis unquam in caſtra tranſiiſſe, aut tranſire potuiſſe. Ex quo colligit a militibus Senatui minime ademptum fuiſſe jus imperii ſive creandi, ſive regendi; & in illis militaribus Imperatorum creationibus legitime factum fuiſ-

ſe

ſe nihil, niſi quatenus auctoritas Reipublicæ acceſſiſſet. Quæ auctoritas veluti ſua in ſede Romæ conſiſtens non potuit a Conſtantino Byzantium transferri. Quapropter licet ille æquaverit hanc urbem Romæ moribus, inſtitutis, ædificiis, magiſtratibus, contrahendi ratione, ac muneribus, non æquavit certe poteſtate; & quæ ibidem agitabantur, ac definiebantur negotia publica non ex civitatis, curiæve Conſtantinopolitanæ, ſed ex Populi Senatuſque Romani juribus deſcendebant; quæ jura cum Principe communicata ſola poterant imperium conſtituere, ac conſervare. Hæc ferme ſumma eſt earum rerum, quas in opere *de Romano Imperio* Gravina tractavit. Hoc ſecutum eſt aliud opus *de Romano Imperio Germanorum*, quo nihil ſcripſiſſe ſe ajebat, quod ad publicas eorum temporum controverſias referret pluris; eaque arte, diligentia, atque cautione contexuiſſe, ut veritatis, ac partium offenſionem una vitaret. Sed cum ab Emanuelle Martino homine in primis docto, & prudenti requiſiiſſet, quid ſibi videretur, tuliſſetque reſponſum, certum in periculum ſe

com-

committere, ſi ea in apertum referret, quæ nonnulli Principes bello pene tota Europa flagrante, occulta, ac penitus abdita maluiſſent, omnem vulgandi operis cogitationem abjecit. Eodem anno, quo primum exiere *Origines Juris Civilis*, edidit quoque duos libros, nuncupatos nobiliſſimæ, eruditiſſimæque feminæ Colbertinæ Principi Carpineæ, quos *della Ragion poetica* inſcripſit. In his libris voluit Gravina delineare formam perfecti Poetæ, atque fontes aperire, unde Poeticæ artis præcepta, ſcriptaque inſigniorum Poetarum derivantur. Secutus Ariſtotelem Poeſim ex imitatione natam eſſe judicat, hancque totam in eo verſari, ut verum ſic imitetur, ac fingat, ut illud ponat in conſpectu animi. Ex hac imitatione quaſi in plura membra diviſa, multas in ſpecies eadem abiit, atque ita Poetæ dicti ſunt alii Epici, alii Tragici, alii Comici, alii Lyrici, alii Melici, alii alio nomine: nam pro cujuſque natura, & moribus imitandi ſtudium proferebatur. De illuſtrioribus autem Poetis, qui in ſingulis Poeſis ſpeciebus excelluerunt, a Græcis incipiens, per Latinos gradiens, & in

in Italos deſinens tam ſcite, ac litterate judicat, ut, hoc judicio duce, quilibet poſſit ſibi ex eorum lectione acquirere cognitionem non ſolum verborum, ſed etiam rerum, ex quibus Poeſis conſtare debet. Unum inter omnes eminere Homerum ait; atque enumerat quæ ſint in ejus poematibus virtutes, quam admirabilis compoſitio fabularum, quanta præcepta ad reipublicæ, vitæque privatæ rationes gubernandas, quam evidens deſcriptio hominum, naturarum, morum, & affectuum, omniumque pene rerum, quibus hic mundus univerſus variatur, ut in tot tantiſque deſcriptionibus divina prudentia appareat. Jure igitur a veteribus quibuſdam Homerica Poemata appellata fuiſſe contendit humanæ vitæ ſpeculum, & univerſæ rerum naturæ imaginem, de quibus Poematibus mentem ſuam fuſius explicandam peculiari libro ſibi propoſuerat, ſed opus vix inchoatum e manibus depoſuit. Homero proximum accedere ait Dantem non dicendi genere, ſed ſcientia, copia, dignitate, atque evidentia. Hunc non modo Poeſis, ſed etiam Italicæ linguæ parentem appellat, quarum ori-

gi-

ginem, progreſſionem, mutationeſque diligentiſſime perſequitur ſecundo libro. Nec quidquam omnino huic operi deeſſe videtur præter unam perſpicuitatem, quod brevi magnarum, ac multiplicium rerum comprehenſioni in primis tribuendum eſt. Hoc idem opus cum ſæpe nominare contigiſſet Mario Creſcimbenio in ſua Hiſtoria Italicæ Poeſis, aliquid ſemper de ipſius Auctoris laudibus prædicavit, quod judicium plurimi faciendum eſt, quia prolatum ab homine harum rerum intelligente, & in Gravinam non optime animato. Hoc etiam ad ejuſdem operis laudem pertinet, quod non defuere qui illud Gallicam in linguam verterint, ac Pariſiis edi curaverint an. MDCCLIV. De Poeſi diſſeruit etiam in epiſtola Latina ad Scipionem Maffejum, notans quando cœperit tum apud Græcos, tum apud Latinos; quid utriuſque illam commendaverit; quantum inter ſe hi populi ſtudiis, moribus, vitæque ratione differrent, qua in differentia totum diſcrimen, quod eſt inter Homerum & Virgilium, poſitum putat. Nonnulla etiam attigit de numero, & elocutione poetica, libe-

libereque mordet tum eos, qui furere, atque inſanire videntur, dum novas ſequi volunt dicendi, ac cogitandi vias, tum eos qui ad vulgaria præcepta quædam, & ad Petrarcham tamquam ad ſaxum adhæreſcunt: illos demum ait videri ſibi optime de Italica Poeſi mereri, qui ſenſus, modos, coloreſque mirificos Latinorum, ac præſertim Græcorum, ad eam traducunt. Cujus rei voluit ſe ipſum exemplum proponere. Nam quinque condidit Tragœdias (condidit autem, ſi verum dixit, tribus menſibus) in quibus expreſſit ſuccum, & ſanguinem Sophoclis, & Euripidis, medium tamen quiddam inter brevitatem unius, & copiam alterius tenens. His Tragœdiis nomina impoſuit, *il Palamede*, *l'Andromeda*, *l'Appio Claudio*, *il Papiniano*, *il Servio Tullio*, quarum in prima & ſecunda heroica tempora, in reliquis regium, conſulare, & militare imperium veterum Romanorum, horumque mores repræſentavit. Multum autem intereſſe putavit, ne quid ſcenæ committeret, quod non eſſet in hominum uſu & natura, & conſonum conditioni, ætati, ſexui, inſtituto, &

nationi dicentis. Imitatus Euripidem ornavit has fabulas copia graviſſimarum ſententiarum, ut ex his Principes præſertim viri pararent ſibi optimam, & pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, ſuppellectilem. Uſus eſt oratione, quæ nec ſubmiſſionem, nec elationem haberet, & propter ſimilitudinem veritatis abſtinuit a ſimiliter deſinente, adhibuitque verſum hendecaſyllabum, & interdum etiam duodecaſyllabum, quod non raro accidat, ut ipſi natura incurrant in orationem, ſermonemque quotidianum. Has, aliaſque virtutes extollebant amici Gravinæ: ſed inimici aut contemnebant, aut iis vitia multa opponebant, illa in primis, quodque non ſatis ſenſus, ac motus eæ fabulæ haberent, quod verſus non libere fluerent, quod raro apte, & numeroſe caderent ſententiæ, quoque ſæpe Poeta tranſiiſſet lecta, & illuſtria verba, ut ſumeret inuſitata, & ea, quæ novavit, & fecit ipſe. Hæc indignabatur Janus Vincentius, dicebatque audacter, & aperte; qui ea reprehenderent, illis tenebras eſſe; quæ maxime Tragœdias ſuas ornabant longiſſime eſſe ab imperitorum intelligentia, ſenſuque

dis-

disjunċta; nihil iis ſe ſcripſiſſe egregius, ſeque ipſum poſſe prædicare quaſi unum hominem, qui Italiæ reſtituerit hoc poeſis genus. Sunt & alia, de quibus intolerantiſſime ſe jaċtat in ipſarum Tragœdiarum prologo; cumque aliquando eum ſcribentem offendiſſet Joannes Baptiſta de Miro vir ipſi multis nominibus, ſed præſertim doċtrina amiciſſimus, interrogaviſſetque, qua in re eſſet occupatus; *in reddendis*, inquit ille, *Latine Tragœdiis meis, ut judicare poſſint exteri, qui ſine amore, ſine odio, & ſine invidia judicant, nihil unquam fuiſse in hoc genere elaboratum, quod tam proxime accedat ad Græca exemplaria*. Id ut facilius cognoſcerent homines, librum confecit, qui omnem antiquorum, & Sophocleam, & Euripideam condendæ Tragœdiæ rationem compleċtitur; quique non ſolum præcepta artis tradit, ſed de ipſis etiam præceptis judicat. Judicat etiam quam a norma & regula a Græcis reliċta aberraverint, uno excepto Gravina, conſequentes omnes Tragici, quos, ſi quis proponit ſibi ad imitandum, idem facere videri, ac ſi, inventis frugibus, glande

veſci velit. Profecto nemo ſatis admirari poteſt magnitudinem cognitionis, atque artis, quæ in hoc libro elucet. Quapropter jure gloriari potuit Gravina, hoc, aliiſque de Poeſi libris magnum ſe attuliſse adjumentum hominibus ſuis, ut non modo Græcarum litterarum rudes, ſed etiam docti plurimum ſe arbitrarentur adeptos & ad ſcribendum, & ad judicandum. Quibus libris ſi fuiſset contentus, neque repugnantem naturam vincere contendiſſet in ſcribendis carminibus, melius quidem nominis ſui gloriæ conſuluiſſet. Poterat enim ſapientem illum imitari, qui ad Poeſim invitanti reſpondit: *Ea re poemata non facio, quia cujuſmodi volo, non poſsum, cujuſmodi poſsum, nolo*. Sunt in manibus hominum tres Italicæ Eclogæ; alias vidi ego ineditas, ut & Lyrica quædam apud virum humanioribus litteris politiſſimum Petrum Antonium Seraſſium, ex quibus intelligi poteſt tantum Gravinam abundaſſe doctrina, & arte ad Poeſim, quantum natura deſtituebatur. Sed incredibile eſt, quantum ſe cum Muſis delectaret, quantumque ab iis reportaret levaminis, quo facilius magnos ſu-

ſuſtineret labores, quos in doctrinarum ſtudia
inſumebat. Cum cogitaſset multum intereſse ad laudem ſuam, utilitatemque Juris prudentiæ ſtudioſorum, ut qui tribus libris ortum, & progreſsus Juris Civilis patefecerat, atque illuſtraverat, totidem quoque Juris Pontificii origines aperiret, in hanc curam toto animo incubuit. Sed dolendum eſt, magnum, & artificioſum opus hoc illum perficere non potuiſſe, aut jam perfectum in occulto latere. Sunt & alia multa præclara, quæ Gravina aut inchoata, aut prope jam abſoluta, aut plane perfecta reliquit, de quibus ſingillatim perſcriberemus, ſi ea nobis videre contigiſset. Poſſem & pauca alia proferre, quæ jam ſunt edita, ſed ea miſſa facio, quod tanti non ſint, ut diutius in referendis ſcriptis Gravinæ morari debeamus. Habebat hic, ut initio docuimus, magna propinquitate conjunctum Gregorium Caropreſium probum, ac doctum virum, quem devinctus magnis illius beneficiis ſic ſemper obſervavit, & coluit ut alterum parentem. Quo facto tulit pietatis fructum. Caropreſius enim moriens Scaleæ an. MDCCXIV. eun-

dem heredem fecit ex aſse. Volens itaque Janus Vincentius non modo rei familiari ſuæ, ſed etiam valetudini conſulere [nam viſcerum doloribus hoc maxime tempore afflictabatur, quibus aut remedium, aut allevamentum allaturam ſperabat patrii cæli aſpirationem] ad Brutios remigravit, & apud eos duobus circiter annis remanſit. Quo tempore magnas attulit utilitates Provincialibus ſuis. Eos enim cohortari non deſinebat ad præclara ſtudia, iiſque commonſtrabat vias, quibus ad id, quod volebant, facile pervenirent. Ex quo factum eſt, ut huic omnes honores, quos poſſent, haberent, eumque quaſi alterum Pythagoram ſuſpicerent, ac prædicarent. Nemo enim ignorat, regnante Tarquinio Superbo, hunc Philoſophum illas regiones tenuiſſe, & privatim, & publice præſtantiſſimis & inſtitutis, & artibus exornaviſſe. Magnam vero delectationem capiebat Gravina dum inviſeret loca illa, in quibus accipiebat eundem Philoſophum fuiſſe verſatum, eaque non ſolum Pythagoræ memoriam ſibi attuliſse dicebat, ſed eundem quoque in cōſpectu ſuo poſuiſse, ac ſibi viſum

ſum

Digitized by Google

ſum fuiſse audire docentem. Romam rediit, ut opinor, an. MDCCXVI. quo tempore cum honeſtiſſimis conditionibus invitaretur a celeberrimis Germaniæ Academiis ad docendum Jus Civile, utens excuſatione valetudinis, ac longinquitatis locorum ire recuſavit. Non multo poſt autem cum valde liberaliter ipſum invitaſset Victorius quoque Amedeus Sabaudiæ Dux, conditionem libentiſſime accepit. Videbat enim ſe in Taurinenſi Lyceo non unius modo Juris prudentiæ doctorem, ſed cunctorum ſtudiorum moderatorem fore. Nam vel antea eidem Duci placuerat in inſtituendo illo Lyceo, condendiſque legibus, quæ ad ſtudiorum rationem gubernandam pertinerent, multa præſcribere de ſententia Gravinæ. Hic igitur cum exeunte anno MDCCXVII. iter Taurinum pararet, tanta vi correptus eſt ſtomachi dolorum, ut tempus profectionis differre coactus fuerit. Sperabat tamen ſe brevi convaliturum, cum in abſtinentia a cibo anteà fere ſemper remedium his ſuis incommodis habuiſſet. Et quidem cum per aliquot dies nihil, aut parum admodum cibi ſumpſiſset, valde le-

vatus eſt, potuitque die S. Joanni Apoſtolo feſto domo exire, ut Sacro adeſſet in proximo Templo, quod vocant *del Suffragio*. Sed ineunte Januario iterum graviſsimis doloribus tentatus eſt, exæſtuanſque internis caloribus atram demum bilem evomuit. Id accidit quarta circiter hora ante lucem poſtrid. Non. Januarii; cumque ad opem ægrotantis accurriſſet Petrus Metaſtaſius advocatus a Leopoldo fratre, quocum ita partiebatur officia in magiſtrum, & contubernalem, ut illius lectulo unus alterve aſſideret, invenit ipſum non ſolum viribus, ſed etiam ſenſibus carentem; neque multo poſt, prima ſcilicet luce, ipſum efflantem animam vidit. Elatus eſt ſine ulla pompa funeris, ſepultuſque in Ædicula, cui nomen *S. Blaſii della Pagnotta*. Idem ſua manu breve conſcripſit teſtamentum, cujus hoc eſt exemplum.

Quod Deus bene vertat.

J. Vincentius Gravina ita teſtor. Annam Lombardam matrem meam hæredem inſtituo in bonis, quæ habeo in Conſentina Provincia Brutiorum, quos Calabros vocant: in bonis vero meis

meis aliis omnibus hæredem inſtituto Petrum Trapaſſum, alias Metaſtaſium Romanum, adoleſcentem egregium, alumnum meum, cui ſive ante, ſive poſt aditam hæreditatem meam quandocumque decedenti ſubſtituo Julianum Pierſanctem, Laurentium Gorum, Horatium Blanchum, vernacule Bianchi, diſcipulos meos cariſsimos.

Corpus meum, antequam terræ reddatur, cultro diſſectum, balſamoque de more perunctum volo.

Dominicanæ familiæ Patribus pro celebratione Miſſarum ad peccatorum meorum expiationem dātor ſemel h. e. una ſolummodo vice, argentea ſcuta Romana triginta, decem juliorum in ſingula ſcuta: quæ ſimul cum ſumptibus funeris, parce quidem ac moderate, a Petro Metaſtaſio, ſive Trapaſso perſolvuntor. Nonis Aprilis ann. MDCCXV.

Ego idem J. Vincentius Gravina.

At Gravina non ſolum bonorum, ſed & doctrinæ heredem reliquit Metaſtaſium. Hunc enim cum vel a prima pueritia in domum ſuam recepiſset, ita bonis artibus, & diſciplinis inſtituerat, ut nemo dubitaret talem illum fu-

tu-

rurum, qualem omnes poſtea cognitum judicarunt. Neque ſua inſtitutione contentus duxit quoque ipſum aliquando ad Gregorium Caropreſium, ut apud eum in Philoſophia exerceretur. Fuerunt præterea plurimi alii nobiles diſcipuli Gravinæ, quos ſingulos nominare longum eſset. Illud ſatis fuerit dixiſse, eorum alios excelluiſse in Juris prudentia, alios in Oratoria, alios in cognitione antiquitatis, alios in Philoſophia, alios in diſſimilibus Poeſis generibus, quod eſt ſignum, eundem vidiſse quo ſua quemque ferret natura, ad eamque inſtitutionem ſuam accommodaſse. Fructum vero ingenii, & doctrinæ, omniſque præſtantiæ tum maximum ſe capere dicebat, cum in proximum quemque conferret. Nec minus amicorum, quam diſcipulorum nobilitate, ac frequentia floruit; e quibus præſertim dilexit Emanuelem Martinium, Henricum Brenckmanum, Joannem Georgium Grævium, Henricum Huyſsenium; e noſtratibus vero Joannem Juſtum Ciampinium, Raphaelem Fabrettum, Joannem Baptiſtam de Miro, Laurentium Magalottum, Franciſcum Blanchinium, Joſephum

Averanium, Antonium Magliabechium, Joannem Mariam Lanciſium, & Scipionem Maffejum. Acceptus quoque fuit Pontificibus Maximis Innocentio XII. & Clementi XI. nec non ampliſſimis Cardinalibus Hieronymo Caſanatæ, Thomæ Turnonio, Gaſpari Carpineo, Franciſco Pignatellio, & Laurentio Corſinio. Quos ſummos viros dum obſervaret, nemo poterat ſuſpicari, eum quidquam ad utilitatem ſuam, ſpemque amplificandæ fortunæ referre. Odit enim ſemper ſordidum illud hominum genus, qui habent amicitiam, & gratiam quæſtui; ac ſæpe dicebat miſerrimam omnino eſſe ambitionem, honorumque contentionem; ſeque idcirco beatum putare, quod rebus ſuis contentus nihil quæreret, nihil appeteret, nihil optaret amplius. Nemo illo magis ab adulatione, & blanditia averſus fuit; & in hoc maxime gloriari videbatur, quod libere, & aſpere reprehenderet quæ reprehenſione digna eſſe ſibi viderentur. Ipſe tamen & objurgari, & moneri moleſte ferebat; & ſi qua offenſiuncula facta eſſet animi ſui, vix ignoſcebat. Hoc quoque in amicitia peccavit, quod eſſet ſuſpicioſus, & facile exiſti-

ſtimaret aliquid ab amico eſse violatum. Primo aſpectu triſtis, & ſeverus erat; poſt autem ad comitatem, facilitatemque proclivis eſse videbatur; & in congreſſionibus familiarium hilaritati quoque interdum indulgebat. De ejus in Deum pietate dubito quemadmodum exponam. Profecto, ſi ejus ſcripta, dictaque expendere volumus, præclara omnia, atque egregia illum de religione ſenſiſse fateri oportet. Nihilo tamen minus in hoc graviſſime accuſatus eſt a multis, ſive ſuſpicionibus, ſive conjecturis, ſive, quod probabilius eſt, malevolentia. Extremo quo ægrotavit morbo bis peccata ſua, quod ad defenſionem illius plurimum pertinet, Sacerdoti aperuit. Sacro quoque omnibus ferme diebus intereſse conſueverat. Tanta induſtria fuit, ut eum ſe perdidiſse diem arbitraretur, quo non ad duodecim, aut ſaltem ad decem horas ſtudiis ſuis vacaſset. Quare haud eſt mirandum, ſi tantam magnarum rerum, atque artium ſcientiam eſt conſecutus, ut æqui, & intelligentes judices neſcire ſe faterentur, an urbs Roma, nullo non tempore eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſque ſtudiis afflu-

affluens, Gravinæ ætate parem illius habuerit ullum. Neque, cum optime ille ſciret, contempſit artem faciendæ, & poliendæ Latinæ orationis. Latinam enim linguam præſertim amavit, eaque in primis uſus eſt, quod Itala locupletiorem eſse dicebat, & quod ex ea majorem gloriæ fructum putabat ſe percipere poſſe, quia Latina leguntur in omnibus fere gentibus. Non multa igitur ſcripſit Italice, & hæc minime ornavit colore illo, in quo Etruſcæ urbanitatis, & dulcis, perſpicuique ſermonis imaginem poſſis agnoſcere. Etsi autem ſtatuam bene ſcripſiſse Latine Gravinam, non auſim tamen cum nonnullis affirmare, fuiſse illum & politiſſimum, & perfectum ſcriptorem. Videtur enim mihi deeſse ejus ſcriptis feſtivum quoddam, & ſolutum, & effluens orationis genus; nec ſemper hauſit ille ex aureæ ætatis ſcriptoribus verba, dicendique modos; quod ad perfecte Latine ſcribendum maxime conducere nemo inficias iverit. Statura fuit procera, corpore gracili, ore macilento, & pallido, lataque fronte: oculos habuit cæſios, & diſtortos, tempora concava, naſum acutum: Sed quæ

nn-

natura dedit corporis vitia homo philoſophus contempſit, cum nullam aliam quæreret laudem præter ſolidam, veramque illam, quæ ex animi, ingeniique bonis colligitur.

Opera Edita.

Omnium copioſiſſima editio operum Jani Vincentii Gravinæ eſt illa, quam Neapoli curavit Joannes Antonius Sergius an. 1756. & 1758. Hæc Diſtinguitur tria in volumina in 4 quorum in primo continentur.

In I. *ORIGINUM Juris Civilis libri tres.*

In II. *DE ROMANO IMPERIO liber ſingularis.*

SPECIMEN priſci Juris.

ORATIO pro Romanis legibus ad magnum Moſchorum Regem.

—— de Juris prudentia ad ſuos Juris civilis Auditores.

—— de Canone interiori ad ſuos Juris Pontificii auditores.

—— de recta in Jure diſputandi ratione.

—— de repetundis fontibus doctrinarum.

—— de inſtauratione ſtudiorum ad Clementem XI. P. M.

—— in auſpicatione ſtudiorum de ſapientia univerſa.

—— pro legibus Arcadum.

LEGES ARCADUM.

DE LINGUA LATINA Dialogus ad Emanuelem Martinum.

DE CONVERSIONE DOCTRINARUM ad J. Gabrielem Reginerium.

DE CONTEMPTU mortis ad Franciſcum Pignatellum Tarentinum Archiepiſcopum.

DE LUCTU minuendo ad Trojanum Miroballum.

Hy-

HYDRA MYSTICA, *ſive de corrupta morali doctrina Dialogus*.

ACTA CONSISTORIALIA creationis Cardinalium inſtitutæ a Clem XI. P. M diebus 17. *Maii & 7. Junii An. Sal.* 1706.

DE FOEDERE PIETATIS ET DOCTRINÆ oratio ad ſuos Gratianei Decreti auditores.

DE DISCIPLINA POETARUM ad Scipionem Maffejum Marchionem.

JAMBI ad Paullum Doriam; *& quædam Dedicationes*.

RECEPTIORIS JURIS ſpecimen.

ENCYCLICA EPISTOLA nomine Cardinalis Franciſci Pignatelli, cum Neapolis Archiep. eſſet renuntiatus.

TESTAMENTUM Gravinæ.

INSTITUT. Juris civilis receptioris libri quatuor.

DISSERTATIO de cenſura Romanorum.

INSTITUTIONUM Juris Pontificii libri tres.

In III. *UNA LETTERA DEL SERGIO in cui dà giudizio di ciaſcun'opera del Gravina dopo d'aver premeſſe alcune notizie della di lui vita*.

DI GIO: Vincenzo Gravina della Ragion Poetica libri due a Madama Colbert Principeſſa di Carpegna.

DELLA TRAGEDIA libro uno al Principe Eugenio di Savoja.

DI GIO: VINCENZO GRAVINA Giuriſconſulto tragedie cinque, *cioè*

—— *Il Palamede*.

—— *L'Andromeda*.

—— *L'Appio Claudio*.

—— *Il Papiniano*.

—— *Il Servio Tullio*.

DELL'ANTICHE FAVOLE Diſcorſo di Gianvincenzo Gravina al Card. Boncompagni.

REGOLAMENTO degli ſtudj di nobile e valoroſa Donna all' Eccellentiſſima Signora Principeſſa Santacroce.

RAGIONAM. ſopra l'Endimione componimento Dram-

ma-

matico di Aleſſandro Guidi.

DELLA DIVISIONE D'ARCADIA al Sig. Marcheſe Maffei.

EGLOGHE TRE

EPISTOLÆ LATINÆ familiares V.

Optaſſem indicem quoque ſubtexere operum Gravinæ, quæ minime in vulgus ſunt edita. De quibus operibus cum per litteras requiſiviſſem virum amiciſſimum Petrum Metaſtaſium, hoc ab eo reſponſum tuli. *Mancano i materiali per l'Indice da lei deſiderato. I manoſcritti, che eſiſtano, ſono qualche autografo inintelligibile di coſe già pubblicate, o di pochiſſime altre incominciate per paſſatempo, e per lo più non finite, avendole giudicate l'Autor medeſimo non eguali all' aſpettazione dell' illuſtre ſuo nome. Può darſi che vi foſſe di più. Ma pochi iſtanti dopo d'aver egli ceſſato di vivere, tutti gli ſcritti ſuoi furono richieſti, e ritenuti per qualche tempo da chi aveva legittima autorità di farlo; e reſi poi quanti e quali ſono al preſente. Sicchè io credo, che queſto articolo debba nell'opera ſua eſſere affatto traſcurato.*

JULIO

JULIO ORICELLARIO

ANGELUS FABRONIUS

S. P. D.

ET mea ſponte optabam antea, & poſt tuis cohortationibus magnopere ſum commotus, ut vitam explicarem litteratiſſimi viri Laurentii Magalotti. Opus perfeci quam diligentiſſime potui, nec mediocrem laborem in eo conſumpſi, cum conquirenda mihi fuerint monumenta rerum, præſertim ex ingenti, eaque non jam in unum locum collecta, ſed in multis, diſſitiſque diſperſa, ac diſſeminata multitudine epiſtolarum, quas ille vir dare ad amicos, & ab iis accipere ſolitus fuerat. Nec prætermiſi quoque naviter evolvere omnia, quæ extant Magalotti ſcripta apud nobiliſſimum, humaniſſimumque virum Coſmum Venturium, ad quem illa cum omnibus Magalottæ familiæ bonis hereditate pervenerunt; & quidquid ſciri potuit ex memoria patrum, quod pertineret ad illius mores, factaque cognoſcenda, curioſe inveſtigavi. Reſtat, ut a te intelligam

 quid

quid de eodem opere ſentias, ſi modo tanti putabis, ut illud prudenti, ſinceroque judicio tuo expendendum ſubjicias; & certe putabis, ſi humanitati, ac benevolentiæ erga me tuæ conſtare voles. Vereor, ne putidum ſit tibi declarare, quæ me cauſſæ impulerint, ut de viris Italis, & Italarum litterarum gloria excellentibus Latine ſcripſerim. Feci id non odio patriæ linguæ, ſed quod melius conſultum iri famæ ſummorum virorum, reique litterarum publicæ ſemper putavi, ſi illorum facta, quæ cognita omnibus eſſent profutura, eo explicarentur ſermone, qui ab omnibus, qui ſummis ſaltem labiis guſtarunt ſtudia doctrinæ, intelligeretur. Qua in re imitatus ſum illorum Romanorum exemplum, qui quondam res Romanas litteris Græcis tradiderunt, ut eæ patrios tranſgreſſæ fines ad longinquas regiones, & ad ultimas etiam terras pervenirent. Accedit eo, quod magnopere intereſſe ſum arbitratus optimæ ſtudiorum rationi, ut quiſquis pro viribus elaboret Latinas excolere litteras, quoniam in ea devenimus tempora, quibus ſtulta quædam opinio tranſalpinis profecta regionibus permultorum occupavit animos,

nimos, Latinam linguam, tamquam ætate jam grandi effatam anum, turpem, rugoſam, edentulam, deliram negligendam; fruſtra teri tempus in Latinis vocibus ediſcendis, cum Latinorum doctrinam omnem intelligentes interpretes in vernaculas linguas tranſtulerint; has ipſas linguas, ac præſertim Italicam, ſatis graves, ſatis ſplendidas, ſatis ſuaves, ſatis copioſas eſſe, ut iis unice contenti eſſe debeamus; has unas provehendas, amandas, &, ut ita dicam, procandas. Ex quo factum puto, ut propemodum nunc pudeat Latinum aliquod afferre in litteratorum hominum conventus, qui nullo non in Italiæ angulo ſunt inſtituti; & ſi libri edantur vix aliqui Latino ſermone, eoque puro, & caſto ſint conſcripti. Profecto non ego id ſtatuo, ut linguam, quam in cunis cum lacte nutricis ebibimus, contemnamus; quin immo cum iis actum eſſe præclare arbitror, qui in ea multum operæ, ſtudiique poſuerint. Verum illud contendo, Latinam linguam, quam tot ſæcula foverunt, minime de ſinu ejiciendam, ad hanc tamquam ad matrem ſuam confugere debere Italicam, ut ex ea opes, prudentiam,

 ar-

artem, ornamenta colligat; neque aliter ſe gerere debere noſtros homines in Latinas litteras, quam doctiſſimi Romanorum in Græcas ſe geſſerint. Scimus enim Ciceronem, Virgilium, Horatium, Propertium, alioſque diurna nocturnaque manu verſaſse Græcorum volumina, & ex his ſumptis omnium rerum affluentibus copiis ſcripta ſua locluple taſſe: ſcimus Aulum Albinum, Lucium Lucullum, Titum Pomponium, ipſumque Ciceronem, Acilium, Ælianum, ceteroſque Græce ſcripſiſſe; neque ignorare poſſumus præcepiſſe Quintilianum, ut puerilis inſtitutio a Græca lingua inciperet, quod Latinæ diſciplinæ a Græcis fluxerunt, quodque Latinæ linguæ ſcientia a Græca prorſus lingua penderet. Sed ſi verum amamus, non aliter de Latina lingua nos Itali judicare debemus; bujuſque ſtudium plus etiam prodeſse poſse Italicis litteris, quæ arctioribus vinculis cum Latinis, quam hæ cum Græcis conjunguntur. Quapropter ſapientiſſime monitum eſt a Leonardo Salviato, cujus judicium omnes profecto ſciunt quanti in hoc rerum genere faciendum ſit, neminem, qui non guſtaverit Latinas veneres, & aureos Latini-

tinitatis ſcriptores diu multumque volutaverit, & imitando expreſserit, poſse ad perfectè Etruſce ſcribendi laudem aſpirare. Qua laude clariores non tulit certe hæc civitas Dante, Petrarcha, Boccaccio, & Caſa, quos multo ſtudio ſe exercuiſse in Latine ſcribendo conſtat inter omnes. Videbor equidem ineptus eſse voluiſse, quod tecum egerim de utilitate, neceſſitateque Latinarum litterarum. Nemo enim hæc te melius videt, qui cum ex ſchola Joſephi & Nicolaï fratrum Averaniorum prodieris, ab iis non ſolum magnarum rerum ſcientiam, ſed etiam luculenter ſcire Latine didiciſti; cui cum Græcarum litterarum cognitionem copulaveris, illud obtinuiſti, ut æmulari voluiſse videaris majorum tuorum Joannis, & Bernardi Oricellariorum gloriam, quorum florebunt nomina, dum optimarum artium ſtudia vigebunt. Quod te ſcire velim, illud ſupereſt unum, brevi in lucem hominum prodituras Latinas epiſtolas, ſane doctas, & laborioſas, quibus Hieronymus Ferrius Rhetor Faventinus, amiciſſimus meus, idemque liberalibus doctrinis politiſſimus defenſionem ſuſcepit Latinæ linguæ adverſus Halambertium, ceteroſ-

teroſque, qui illi horribile, ac nefarium bellum indixerunt. Habes epiſtolam verboſiorem fortaſſe quam velles. Cura ut valeas.

Florentiæ Idibus Junii MDCCLXVIII.

LAURENTIUS MAGALOTTUS.

LAURENTIUS MAGALOTTUS nobiliſſima inter Florentinas familia Romæ ortus Id. Decembris (1) an. MDCXXXVII. parentes habuit Horatium Magalottum, & Franciſcam Venturiam. *Is* acceptam a majoribus nobilitatem plurimum doctrina, virtuteque auxit, ad quas concipiendas ab ineunte ætate præparatus eſt. Matrem enim habuit caſtiſſimam, diligentiſſimamque, nec vulgariter eruditam, patrem ſatis ſtudioſum

(1) Scripſerunt de vita Magalotti pauca quædam Salvinus Salvinius, & Cajetanus Cambiaſius, hique errarunt in notando die ortus Laurentii noſtri. Erroris ſuſpicionem mihi movit epiſtola ejuſdem ad Leonem Stroctium. Itaque communicata re cum viro clariſſimo, amiciſſimoque meo Petro Aloyſio Galletio Abbate Caſinenſi, quem non ignorabam evolviſſe omnes libros, in quibus deſcribuntur nomina eorum, qui Romæ ortum habuerunt, vitamque amiſerunt, ad contexendum Romanum Necrologium, ab eo quid certi eſſet comperi.

ſum litterarum, quem munus Præfecti tabellariorum, quod ſuſtinebat apud URBANUM VIII. P. M., aliæque publicæ occupationes minime impedivere ab inſtruendo optimæ ſpei filio. Hic e domeſtica diſciplina venit ad Jeſuitas, cum ageret annum decimum tertium. Uſus eſt etiam præceptore Antonio Oliva, viro, in quo erant multæ litteræ, quique poſtea Medicinam Piſis publice docuit; verſabaturque frequenter cum Jeſuita Honorato Fabro, cujus præſtantiam in omni re philoſophica, & mathematica nemo ignorat, & cum Antonio Lancio Canonico, ut vocant, Regulari, cujus doctrinam adeo ſuſpexit Laurentius, ut illum cum Galilæo epiſtola quadam comparare videatur. Ab his ſummis viris magna is quidem adjumenta habuit ad feliciter conficiendum humaniorum litterarum, & Philoſophiæ curſum. Cum an. MDCLVI. ad Juris prudentiam in Piſana Academia aggreſſus fuiſſet, hanc ſic tenuit non amplius ſexdecim hebdomadarum ſpatio (quod vix crederemus, niſi ipſe teſtatus fuiſſet) ut præceptores eum ab ſe ſumma admiratione dimiſerint. Multum

L 4 quo-

quoque ſtudiorum ſuorum eodem anno, & inſequenti rei anatomicæ, duce, credo, illo Anatomicorum Principe Marcello Malpighio, impertivit. Ferebatur vero omni impetu in Mathematicas, & Philoſophicas facultates, quare factum eſt, ut tribus annis Florentiæ operam dederit Vincentio Viviano, quem ſic ſibi devinxit, ut nemo ei perpetuo fuerit carior. Quantam vero opinionem de Magalotti ingenio haberet Vivianius ſatis declarant ea, quæ ipſe ſcripſit in præfatione libri *de maximis & minimis*, quæque hic referre libet, quoniam ſunt ad adoleſcentis laudem maxime illuſtria. *Nec præſtantiſſimo adoleſcenti Laurentio Magalotto celatum volui, inſimul ratus amicitiæ candori labem inferre, ſi hæc mea qualiacunque inventa feliciſſimum, atque admirabile prorſus ingenium latuiſſent, mathematicis non minus, quam philoſophicis, atque anatomicis ſtudiis impenſe addictum, Juris prudentiæ ſacris initiatum, muſis, qua Latinis, qua Etruſcis apprime carum, ad omnia egregia æque natum, nulliſque demum equeſtrium exercitationum decoribus deſtitutum, qui ingenuum, & or-*

& ornatiſſimum Patricium decent, e cujus tam clara adoleſcentiæ aurora fulgentiſſimum virilitatis meridiem Patria hæc merito auguratur. Merito quidem augurata eſt. Nondum enim ex adoleſcentia egreſſus erat Laurentius, cum ea geſſit in litterarum bonum, quæ non tam ſpe, & expectatione, quam re, & maturitate fuerunt laudatiſſima. Ad quæ declaranda non ab re erit de Academiæ *del Cimento* hiſtoria nonnulla ſubtexere. Florebat unus omnium maxime e Mediceis Principibus Leopoldus Coſmi II. Magni Etruriæ Ducis, & Mariæ Magdalenæ Auſtriacæ filius. *Fuit enim*, ut de Tito Capitone prædicavit C. Plinius Secundus, *vir optimus, & inter præcipua ſæculi ornamenta numerandus: colebat ſtudia, ſtudioſos amabat, fovebat, provehebat, multorumque, qui aliqua componebant, portus, ſinus, præmium; omnium exemplum, ipſarum denique litterarum jam ſeneſcentium reductor, & reformator*. Sic fere accidere videmus, ut qua in familia laus aliqua floruerit, eam, qui ſunt ejuſdem ſtirpis, cupidiſſime perſequantur. Neque Leopoldus præclaræ illi ſuæ in litteras

vo-

voluntati ſe ſatisfacere poſſe putavit, niſi Academiam ſuis in Ædibus inſtitueret, cui naturæ per experimenta inveſtigatio, quod ſtudium ipſi, & fratri ſuo Ferdinando II. Magno Etruriæ Duci jamdudum erat in deliciis, unice propoſita eſſet. Regendam hanc dedit octo præcipue viris Geometriæ ſcientia inſignibus, Vincentio Vivianio, Paullo, & Candido fratribus de Bonis, Alexandro Marſilio, Antonio Olivæ, Carlo Rinaldinio, Joanni Alphonſo Borellio, & Alexandro Segnio, cui munus aſſignavit deſcribendi quidquid experimentorum in eadem Academia haberetur. Sed hic non triennio amplius in ſuſcepta provincia permanſit, eique datus eſt ſucceſſor Laurentius Magalottus commendatione præſertim Vivianii, & Borellii, quorum magna erat propter ſingularem eorum doctrinam in Academia auctoritas. Cunctis Academicis præerat Leopoldus, qui ſæpe etiam collegæ partes agebat, qua experiendo, qua cogitata a ſe in medium afferendo; videbaturque odorari omnia, & perveſtigare acutiſſime, diligentiſſimeque. Conventus Academicorum celebrari ſunt habiti anno

MDCLVII.

MDCLVII. quibus nullam aliam legem præſcripſit Leopoldus, niſi ut nihil præjudicati illuc afferretur, & ſine ſtudiis diſſenſionis veritas quæreretur, inventaque ſuo in lumine collocaretur. Porro hæc una laus deeſſe videbatur illi omnium pene doctrinarum, & artium vel inventrici, vel reſtitutrici Florentiæ, ut prima exemplum daret illorum cœtuum, in quibus rerum phyſicarum ſtudia pulcherrime colerentur. Tam illuſtris civitas merito quidem geſtiebat, cum videret ea parari ab Academicis ſuis, quæ clariſſimam lucem in obſcuritate rerum naturalium, qua tum omnes fere Europæ ſcholæ miſere involvebantur, eſſent allatura. Ad quam rem obtinendam curavit Magalottus, ut ſuæ partes minime deſiderarentur. Erat enim in Academia aſſiduus, notabat omnia diligenter, ſtudebatque non tam dilucide, quam eleganter experimentorum narrationem exponere. Quod quidem ei multo labore ſtetit. Etenim quo tempore Romæ fuit (fuit autem ad annum uſque MDCLV.) minus ſtuduerat Etruſce ſcribendi elegantiæ; & primis annis, quibus in Etruria commoratus eſt, effu-

effuſa ſine intermiſſione contentio ad majores facultates minime illi ſtudio locum reliquerat. Volens itaque Laurentius temporis jacturam reſarcire, totum ſe dedit lectioni optimorum ſcriptorum, ac præſertim Boccaccii; cumque a nonnullis reprehenderetur, quod in eo, tam. quam in quadam ſilice, adhærere videretur, ille ſui judicii potius quid ſe facere par eſſe intuebatur, quam quod alii laudaturi forent; ſolituſque erat dicere malle ſe ſimilem eſſe Boccaccii, quam Lauretani, Maſcardii, & Cardinalis Bentivoli. Næ totum Decameronem memoriter ipſum tenuiſſe oportet, utpote qui nonnullas fabulas dicendi modis ex eo libro ſumptis, quaſi teſſellatum opus, componere potuerit. Cujus induſtriæ profecto eumdem non pœnituit: ſucco enim, & ſanguine illo incorrupto, qui a ſcriptis veterum petitur, ſic aluit ſtylum ſuum, ut nemini elegantia, ac munditia orationis concederet. Senſit ille narrationem experimentorum, quam fecerat primis temporibus, quibus Academiæ operam ſuam dederat, vix dignam eſſe illa facultate, quam ex diuturna veterum lectione, exercitatio-

tationeque conſecutus fuerat. Itaque de retexendo opere cogitavit; ſed ne faceret varia obſliterunt impedimenta. Interea juſſus eſt a Leopoldo librum experimentorum edere. Qua re imperata, non plus habuit temporis Laurentius, ut multa mutaret, multa de integro texeret, quam quod ſibi a typographo concedebatur. Diu tamen duravit impreſſio libri, qui cum an. MDCLXVII. in publicum prodiiſſet, ab intelligentibus viris ſic exceptus eſt, ut in eo non minus ſtyli elegantiam, quam novitatem, gravitatemque rerum admirarentur. Illa tamen plane contentus non erat Magalottus, ſicuti declaravit Octavio Falconerio, cui etiam faſſus eſt, nonnulla exquiſita nimis ſibi excidiſſe; ſed hæc mediocria, aut nullius momenti fuiſſe oportet, quoniam Joſephus Averanius (qui, quantuſque judex!) non dubitavit aureum plane dicere hunc librum, & dignum quem ſibi omnes, in philoſophicis præſertim deſcribendis rebus, tamquam exemplar, ad imitandum proponerent; & Academia Etruſci ſermonis cuſtos, & moderatrix eam illi auctoritatem conceſſit, quæ ad facien-

ciendam fidem rectæ locutionis quæritur. Pleraque in eodem libro contenta declarant aeris preſſionem, reliqua vero ſpectant naturalem congelationem aquæ, aliorumque fluidorum corporum, varios caloris, & frigoris effectus, aquæ compreſſionem, levitatem abſolutam, magnetem, ſuccinum, aliaque electrica corpora, lucem, colores, ſonum, projectus, hiſque ſimilia. Neque ſolum in experimentorum libro ſcribendo utilem operam præbuit Academiæ Magalottus, ſed etiam ejus nomine multa per litteras communicando de rebus naturalibus cum doctiſſimis viris, præſertim Gallis & Anglis. Scripſit etiam opuſculum an.MDCLX. ad Chriſtianum Hugenium, ut inventa nonnulla de Saturni annulo, aliiſque rebus phyſicis uſurpata a Gallis, Italis, Academiciſque ſuis recuperaret. Quinquennio tamen tardius illud impreſſum eſt; qua occaſione optaſſet Joannes Dominicus Caſſinius, ut libro quædam adjungerentur, quæ furtum aperirent, quod Hadrianus Auzutus fecerat ſuæ theoriæ de reverſione, & motu conſtanti cometarum; nec non quædam alia, quæ attingerent diſceptatio-

tionem, quam cum Bulialdo habuit de determinando geometrice apogæo, & excentricitate cujuſvis planetæ, poſitis duobus intervallis inter locum verum, & locum medium. Verum ad hæc delabi non debere putavit Laurentius. Illa tamen declarant quantum Caſſinius tribueret judicio Academiæ, quæ non mediocria ſunt, aut obſcura ad laudem ejuſdem. De qua laude augenda cum quotidie magis adlaborarent Academici, accidit res Academiæ maxime infeſta. Nam cum iniquitate temporum multi eſſent inimici atque infenſi rectæ philoſophandi rationi, ac ſi Religioni illa adverſaretur, eorum voluntati obſequi debuit Leopoldus Princeps, ut honori velificaretur ſuo. Sic ineunte anno MDCLXVII. eſſe deſiit tanti nominis Academia, neque multo poſt ille Cardinalis eſt factus. Interea dum hæc geſta ſunt Magalottus Romam ad Patrem rediit. Domeſticis enim rebus, & cupiditatibus ſuis opportunum fore putavit, ſi a Cardinali Antonio Barberinio, quod cum conjungebatur non uno cognationis vinculo (is enim matrem habuerat e domo Magalotta, & Laurentium e ſacro baptiſmatis fonte ſuſceperat) ceſſionem obti-

obtinuiſſet cujuſdam pinguis ſacerdotii. Egit rem per amicos ejuſdem Cardinalis; verum ubi de illa impetranda ſpem ſe fefelliſſe intellexit, conſtituit optimum eſſe Florentiam regredi, eoque curas intendere, ut referretur in numerum nobilium cubiculariorum, qui officia ſua Ferdinando II. præſtabant. Quod quidem ei facile fuit. Nam huic ſuæ voluntati favit, adjutorque fuit Leopoldus Princeps, a quo omnia ſibi poterat polliceri; eaque erat opinio, quæ virtutis, doctrinæque illius occupaverat animum Ferdinandi, ut hic nihil magis vellet, quam ut tantus adoleſcens (tunc enim vix exceſſerat quintum & vigeſimum ætatis annum) apud ſe eſſet, ejuſque quotidiana conſuetudine uteretur. Ad illa animi ornamenta accedebat magna corporis dignitas, quæ non minimum commendat, ſcientiaque ſaltandi, equitandique, ſic ut plane ad aulam Laurentius natus, inſtructuſque eſſe videretur. Non mediocris quoque erat in eo cognitio architecturæ, & præſertim picturæ, cujus rei hoc ſatis erit teſtimonium, quod Cyrus Ferrius plurimum ejus conſilio uſus eſt in pingendis

dis Saturni, & Apollinis fabulis in Mediceis Ædibus. Sed quam naturaliter eſſet in hanc artem propenſus ex hoc puto conjici poſſe. Quadrimus idem erat, cum forte incidit in quamdam Titiani tabulam eximia pulchritudine. Exhibebat hæc pueri imaginem, quæ facile potuit ad ſe allicere æqualis oculos. Ut vidit Laurentius quæſivit illico a matre, a cujus latere nunquam diſcedebat, quis tam præclarum opus pinxiſſet? *Se ignorare*, reſpondit mater. Cui Laurentius: *quoniam in hac re mihi non ſatisfacis, patiare ſaltem illud me quantum libet contemplari*. Tam alte impreſſa eſt in pueruli animo picta imago, ut poſtea quam grandior factus eſt, per ſe judicare potuerit illam Titiani opus eſſe; & ſexaginta quinque poſt annos tam minute, tam graphice non amplius viſam tabulam amico cuidam deſcripſerit, perinde ac ſi ante oculos tum ſibi propoſita fuiſſet. Quod quamquam nonnullis leve viſum iri putem, nolui tamen præterire, ut facilius homines intelligant, quam fautricem Laurentius nactus ſit naturam in tribuendo ingenio ad omnia pene apto.

Quare minime eſt mirandum ſi Principibus ſuis fuerit cariſſimus, & ſæpe Magnus Dux ſocium ſtudiorum ſuorum [erat enim non vulgariter litteris deditus] ipſum habuerit. Non leve quoque ei indicium dedit voluntatis, & exiſtimationis ſuæ ALEXANDER VII. P. M. quo tempore a Leopoldo Principe accepit magnam inſtrumentorum partem, quibus Academia *del Cimento* ad experimenta utebatur. Nam cum rationis eorum tractandorum perſpicuam, & dilucidam cum elegantia deſcriptionem feciſſet Laurentius, hujus operam remunerandam putavit Pontifex; ipſumque donavit quadam, ut vocabant, Hiſpanica penſione, ex qua quinquaginta aurei nummi ad ſex annos eidem rediere. Idem Pontifex non ceſſabat quoque celebrare purum quaſi quoddam, & candidum orationis genus, quo Laurentius illud ſuum experimentorum naturalium opus perpoliverat, cum judicium feciſſet ex aliquot ejuſdem operis paginis, quas priuſquam illud in vulgus ederetur [editum enim eſt mortuo eodem Pontifice] Romam ad ſe afferri curaverat. Sic cum fama, atque opinio de Magalotti eruditione,

tione, doctrinaque quotidie magis invaleſceret, is ad egregia ingenii facinora maxime impellebatur. Erat enim laudis cupidus; partaque jam gloria majorem in eo gloriæ ſitim videbatur accendere. Suſcepit opus, quo explicaret, quomodo eſſe poſſint ſuavitates odorum ſine ullo corporis, a quo afflantur, detrimento atque jactura; quod cum alienum a veritate videretur, præclare ſecum agi putavit Laurentius, ſi in ejuſmodi re veroſimile quod eſſet inveniſſet. Neque ſolum in hoc pertractando argumento phyſici partes agere volebat, ſed etiam eruditi, cum ad illud ipſum ornandum e ſcriptis veterum omnia, quæ pertinebant ad odores, collegiſſet. Verum opus hoc imperfectum, & rude reliquit. Abſolvit tamen Italicam orationem nobilem illam quidem, & elegantiſſimam, qua carpſit variam hominum voluptatem in novis quotidie admittendis odorum generibus, cum accideret, ut qui odores ſemel perplacuerant, mox faſtidirentur. Ceterum Magalottus erat odorum amantiſſimus, eorumque componendorum valde ſtudioſus. Qua in re tempori ſerviebat,

 cum

cum rudis, & impolitus tum haberetur, qui hæc minime curaret. Eodem tempore laboravit in contexendo opere de vi electrica, quod cum in duas partes diviſiſſet, alteram experimentorum hiſtoriæ, eorumdem examini alteram attribuit. Neque ſatis dici poteſt, quam delectaretur in notando aſtrorum curſu. Contemplans enim ſupera, atque cæleſtia videbatur ſibi elatior fieri, & humana tamquam exigua, & minima deſpicere. Poſtmeridiana tempora tribuebat lectioni Ss. Patrum, e quibus mirabiliter diligebat Tertullianum; videbaturque Laurentius illud dolere, quod minime tuliſſet Deus, ut ſe totum ſacris ſtudiis, ſacræque vitæ addiceret. Cum ineunte anno MDCLXV. Florentiam adveniſſet Jeſuita Joannes Graeberus, & ex ipſo curioſa multa ad hiſtoriam rerum Sinenſium pertinentia (diu enim in Sinarum regno Religioſus ille commoratus fuerat) didiciſſet, eadem libello complexus eſt, quem ad Coſmum Ferdinandi II. filium inſtituit. Quamquam libellum hunc ſcripſiſſe raptim fateatur Laurentius, talis tamen eſt, ut Janus Vincentius Gravina affirma-

ſirmaverit epiſtola Latina quadam ad eumdem Magalottum, in eo præter novitatem, varietatemque rerum maxime admiratum fuiſſe ſtyli perſpicuitatem, candorem, atque elegantiam, præcipue vero feſtivitatem ſermonis, quæ res etiam per ſe humiles venuſtate orationis attollit. Cui laudationi hæc, ut puto, notatu digna addidit idem Gravina: *ſuccenſere ſe Laurentio, quod cum tales haberet facultates, quales ex illa narratiuncula, tamquam Apellem ex linea, ipſe cognoverat, non ſe conferret ad ſcribendam ſuorum temporum hiſtoriam. Id enim ſi faceret rem facturum dignam animo, ingenioque ſuo, & patria, quæ ſummis viris e ſinu ſuo editis collabentem iterum Italiæ doctrinam omnium prima reparavit*. Neque illud eſt mediocre ad laudem memorati libelli, quod Melchiſedech Thevenotus Ludovici XIV. Galliarum Regis a bibliotheca illum ipſum Gallicum in ſermonem vertit. Expoſuit etiam Italice Laurentius, cum interpretem habuiſſet Siculum, quemdam cognomento Intorcettam ex eadem Societate Jesu, opus morale illius Confucii

doctrinarum omnium divinarum, humanarumque apud Sinenſes magiſtri. Erat enim non magnus, verum aureolus, & ad verbum ediſcendus libellus. Eodem ferme tempore ſcripſit Magalottus de ſalium natura ad Horatium patrem, de atomis frigoriferis ad Horatium Oricellarium, & de circulatione aquæ per nervos, & vaſa lymphatica, quæ omnia comprobant ejus in rebus phyſicis cognitionem. Cum autem is vellet relaxare animum a Philoſophia, aliiſque gravioribus ſtudiis, ad Italicam Poeſim ſe conferebat, ad quam eum finxerat natura. Sed illam in pueritia coluerat negligentius. Sæpe enim ſumpſerat in manus ſcriptores abhorrentes a recta, & ſimplici, in qua præcipua poetarum ſita laus eſt, imitatione naturæ; ab iiſque nonnihil contraxerat fucati illius ſplendoris, qui ita occæcaverat animos hominum, ut qui verſum maxime inflaſſet, & ſententiam maxime contorſiſſet, is majori in pretio haberetur. Ut autem cœpit Magalottus guſtare ſcripta optimorum poetarum, mirum quanta, & quam brevi tempore ſit conſecuta mutatio. Ex omnibus unum maxime diligebat Dantem,

tem, nihilque curabat magis, quam ut ſuis carminibus vim illius exprimeret, & formas illas, comparationeſque ex rerum natura, & veritatis exemplis deſumptas in ſua ſcripta transferret. Quare minime eſt mirandum ſi multum operæ ad ſenſus ejuſdem penitus intelligendos contulit. Qua in recum longius quam ceteri omnes interpretes proceſſiſſet, cogitavit aliquando commentata, & ſcripta a ſe in lucem proferre. Quod vero rem minime perfecerit, nec reliquerit niſi interpretationes in quinque priores cantus Inferni, plurimum dolere debent illius Poetæ amatores. In hoc quoque ſeſe oſtendebat amor, quo flagrabat Magalottus in Dantem, quod ſæpe ſententiis ex eo uſurpatis, tamquam fulgentibus gemmis, ſcripta ſua, ſermoneſque ſuos illuminaret. Deditus quoque fuit a pueritia Latinæ poeſi: ſed non multum in hac profecit; & quidquid Latine ſcripſit (non multum autem ſcripſit) ſive numeris adſtricta, ſive ſoluta oratione, ei flos, & color defuit aureæ ætatis ſcriptorum. Attigit etiam poetas Græcos: ſatis enim luculenter Græce ſciebat, qua in facultate præceptorem habuit Joannem

Targionium Florentinæ Baſilicæ S. Laurentii Canonicum. Quod maxime eluxit in ea, quam Anacreontis fecit Italicis verſibus interpretatione, quæ tota concinna eſt, elegans, & venuſta, & mirabiliter exprimens poetæ ſenſus. Ad laudum autem ſummam accedit, quod Magalottus aut primus, aut in primis certe fuerit, qui illam rem tentaverint. Opus enim an. MDCLXX. perfecerat, biennio ante quam Philippus Corſinius interpretationem ſuam ederet. Quid autem a proferendo illud ipſum in aſpectum hominum Laurentium re. traxerit, ignoro. Interea Florentiam advenit Bartholomæus Herbelottus vir doctus, & Arabicæ linguæ peritiſſimus. Tenuit, quam optabat, ejuſdem linguæ addiſcendæ occaſionem Laurentius; neque ſatis dici poteſt quam feliciter hoc illi proceſſerit. Tanta vero felicitas animum ei adjecit ad alias Orientis linguas percipiendas, ac præſertim in Turcica verſatus eſt, quod ex hac facilem ad ceteras (ex omnibus enim fere componitur) aſcenſum eſſe intelligeret. Quas vero loquuntur linguas cultiores Europæ populi eas uſu magis,

gis, quam ſtudio didicit; idemque non ſolum pronuntiabat, ſed etiam ſcribebat Gallice, Hiſpanice, & Anglice ſic, ut appareret in eo nativum quemdam leporem eſſe, non adſcitum. Quod opportunitate trium itinerum, quæ per illa regna fecit, conſecutus eſt. Ingreſſus eſt primum an. MDCLXVII., cum habuerit comitem Paullum Falconerium, virum omni liberali arte, maximeque Poeſi, & Architectura cruditiſſimum, quocum, totaque domo Falconeria maximis erat Laurentius amicitiæ vinculis conjunctus. Longius ipſi trans alpes, & mare proceſſerant, cum regredi juſſi ſunt a Ferdinando II. Magno Etruriæ Duce, comitarique una cum aliis optimis viris filium ſuum Coſmum in itinere, quod is per Europam faciebat. In hac peregrinatione Laurentius incidit in febrim, ex qua non convaluit niſi ſex poſt menſes. Is autem non magis ſibi, quam Principi cariſſimo ſe convaluiſſe exiſtimans, nihil aliud egit, quam ut ipſi in omni re conſilio, fide, atque opera præſto eſſet. Ut primum in Angliam venit Magalottus maxime optavit, ut ſibi aditus daretur ad ineundam

dam amicitiam cum Roberto Boyleo, quem cum Oxonii conveniſſet, honorificentiſſime exceptus eſt; etenim illi fama bene cognitus erat. Cumque conſpectu ipſo, congreſſuque majorem etiam de ſe opinionem feciſſet, brevi mirabilis quædam inter eos exarſit benevolentiæ magnitudo, quam ad extremam ætatem aluit præſertim ſimilitudo ſtudiorum. Nullum vero majus teſtimonium afferre poſſum hujus conjunctionis, quam quod eo tempore, quo Laurentius Londini æger fuit (fuit autem duobus fere menſibus) tanta diligentia ei Robertus officia ſua præſtitit, ut quotidie ad duas, treſve horas ejus lectulo aſſideret. In ſumma oblectatione, ac ſolatio, quod ex viri amantiſſimi conſuetudine percipiebat Laurentius, illud dolebat unice, quod non iiſdem Religionis ac Fidei, ſicuti amoris vinculis utriuſque animi inter ſe jungerentur. Quæ res eum impulit, poſtquam in patriam rediit, ut eidem ſcriberet longiſſimam epiſtolam, in qua convellit errores, quos illum ab amplectanda Catholica Fide abſtrahere putavit. Hanc vero epiſtolam, cum idem ſubjeciſſet judicio

dicio doctiſſimorum Theologorum Michaelis Angeli Riccii, & Hieronymi Caſanatæ, qui tum Romæ florebant, ab his laudes non mediocres reportavit, eorumque monitu quædam etiam in ea meliora fecit. Sed non ſivit Deus, ut illa expugnaret animum hominis ceteroquin maximis, clariſſimiſque virtutibus præditi, de quibus multa mirabiliter, & magnifice ſcripſit Laurentius principio ejuſdem epiſtolæ. Tanta vero erat in eodem magnarum rerum, atque artium ſcientia, ut Laurentius ipſum judicaverit totius Angliæ doctiſſimum; nec ſatiari unquam potuerit ejus ſcripta legendo, inter quæ opus *de Seraphico amore* magna ex parte in Etruſcum ſermonem ex Anglico convertit. Incidit ſecundo anno, poſtquam in Italiam rediit, conjugium Ferdinandi Caroli Mantuæ Ducis cum Anna Iſabella e Guaſtallæ Ducibus. Ad hos a Coſmo III. Mediceo, qui Ferdinando II. ſucceſſerat, legatus eſt Laurentius, non ſolum, ut iis fauſta & felicia omnia precaretur, ſed etiam ut cum iiſdem de quibuſdam rebus ſuis ageret. Quo expleto mandato, cœpit Laurentius majora cogitare. Illud autem quod in primis optabat, cujuſque ſpem fortaſſe ali-

quam

quam ſibi oſtenderat Magnus Dux, erat legatio vel ad Cæſarem, vel ad Galliarum Regem. Hac autem ſpe ſe diutius teneri non ſine gravi moleſtia ferebat. Erat enim honorum amantiſſimus. Interea munus ei datum eſt, ut præeſſet τῇ συναγωγῇ rerum naturalium, qua, curante præſertim viro maximo, & ſpectatiſſimo Nicolao Stenone, Magnus Dux Ferdinandus ſuas Ædes ornaverat. Reliquit hanc curationem Steno, quia ad Danos populares ſuos Rex illum reducem eſſe voluit. Sed qui ab iis venerat Heterodoxus, rediit Orthodoxus; quam religionis converſionem non mediocriter adjuvit conſilium, atque opera Magalotti, in cujus familiaritatem Steno penitus ſeſe dederat. Credibile autem eſt Laurentium, cui in naturæ contemplatione a pueritia plurimum ſtudii fuerat, & temporis, cumulate ſatisfeciſſe muneri ſuo. Eodem tempore exercebat quoque ſtudia antiquitatis, & præ omnibus, quibus ad eam rem uſus eſt ſcriptoribus, amavit Triſtanum, in eo maxime admirans ingenium in interpretandis numiſmatum exergis. Sed acceptis quibuſdam domeſti-

Digitized by Google

meſticis calamitatibus, a contentionibus, quibus ſummis uti ſolebat in ſtudiis doctrinæ, non parum relaxavit. Patrem habuerat non eum quidem ſuarum rerum & attentum, & prudentem patremfamilias; cumque hereditatem illius non adiiſſet, bona ſua repetere ac perſequi lite & judicio debuit a paternis creditoribus. Quod ſi fuit huic malo aliquod levamen, id fuit in amore cariſſimæ matris, quæ ſummo in honore & pretio erat apud omnes, & apud Mediceos Principes præſertim, quorum in aula ampliſſimum tenebat locum. Sed hanc quoque ei mors an. MDCLXXI. eripuit; quo caſu ſe non modo afflictum, ſed dolore confectum fuiſſe amico cuidam declaravit. Poſt illius interitum cœpit a fratribus, quos duos habebat, de domeſticis rebus diffidere; & ad declinanda majora diſſidia patria, Italiaque cedere conſtituit. Accidit ei opportunum, quod ille ſuus amicus, & tamquam alter idem Octavius Falconerius ad Belgas hoc tempore proficiſcebatur, ut munus apud eos Apoſtolici Internuncii, ſi hoc verbo uti poſſumus, ſuſtineret. Ad eum igitur ſe ſe junxit

Lau-

Laurentius; cujus profectionis quamquam non fuerit ſuaſor, approbator certe fuit Coſmus III. Uſui enim fore rebus ſuis Magalotti in Belgio commorationem non dubitabat. Porro ab eo ſingulis hebdomadis doceri volebat de rebus publicis (bello enim ardebant Hollandia, aliæque finitimæ Provinciæ) aliquando etiam ei mandata dedit, quæ per ſe, vel per amicos, quos multos, & illuſtres habebat, curaret. Cumque exeunte anno MDCLXXIII. Coloniæ Agrippinæ conventus haberetur ad pacem conciliandam, huic ſuo nomine adeſſe Laurentium juſſit. Magnum opus, magnique conſilii eſſe videbatur pacem componere inter bellicoſas nationes. Sed qui hujus procurandæ rei cauſſa convenerant, ſex integris menſibus, quibus eo loci fuerunt, vix ſemel de Republica collocuti ſunt, cum omnia menſa, venatio, ſaltatio, ſcena, aliaque oblectamenta occupaſſent. Pax tamen confecta eſt; neque quiſquam fortaſſe fuit, qui in tanti momenti negotio expediendo plurimum conſumptum fuiſſe & laboris & temporis non judicaverit; adeo ſæpe hominum judicia ſpecie rerum decipiuntur.

Con-

Confecta pace, facile Laurentius impetravit a Magno Duce, ut Daniæ, & Sveciæ regna inviſeret; qua in peregrinatione multa obſervavit, atque collegit, quæ pertinent ad declaranda ſtudia, mores, omnemque vitæ rationem incolarum, leges, quibus illi reguntur, ſitus locorum, cælique naturam. In perdiſcenda vero Svecica lingua haud pauca notavit, e quibus bene originem duci putavit verborum quorumdam Italorum; unde eos errare dicebat, qui etymon omnium vocabulorum, quibus nos Itali utimur, quærunt ſemper vel in Græcia, vel in Latio, quin unquam adeant Septentrionales regiones. Quibus in regionibus diu commorari meditabatur Laurentius, cum ſua ſponte, tum invitatu hominis amantiſſimi Nicolai Stenonis, cujus jucundiſſima conſuetudine eo tempore, quo Hafniæ fuit, ſic uſus eſt, ut prorſus una viveret, nec fere ab illo unquam diſcederet. Sed repente eum in Patriam redire juſſit Coſmus Magnus Dux; quæ revocatio, cujus cauſſam ignorabat Laurentius, incredibilem ei attulit dolorem. Cum Florentiam igitur ſumma celeritate

tate ſub finem an. MDCLXXIV. veniſſet, intellexit ſe deſtinatum fuiſſe Legatum ad Cæſarem, quod illi plane mœrorem omnem abſterſit. Conſumpſit hyemem inſequentis anni in apparando itinere, aliiſque rebus, quas nova dignitas flagitabat. Ineunte autem vere Viennam ſe contulit, ibique exceptus honorifice, quod multa, ac præclara de eo fama nuntiaverat. Non paucos, qui virtutis, honorum, & generis ſummam nobilitatem habebant, brevi ſibi conciliavit: inſinuavit etiam ſe penitus in benevolentiam Imperatricis; nullumque ſuum dictum, aut factum pro Magno Duce interceſſit, quod Leopoldus Cæſar non illuſtri gratia exceperit. In deprecandis quoque amicorum periculis, vel in eorum fortunis, honoribuſque provehendis, ſæpe cognitum eſt, quantum gratia, auctoritateque Magalottus valeret. Sed cum continuis fere affligaretur valetudinis incommodis, ac præſertim ophthalmia, cœpit illum tædium commorationis Viennenſis; ad quod levandum hortos in ſuburbiis conduxit, ibique frequenter cum manſuetioribus muſis habitabat. Illud etiam querebatur, quod magnus Dux

Dux videretur reprehendere, & ſubaccuſare ejus largitatem; quodque nimium Quæſtores cunctarentur in perſolvendis ſibi penſionibus, iiſque pecuniæ ſummis, quas Principi expenſas ferebat. Cum ad ceteras moleſtias illa quoque adjuncta fuiſſet, quod graviter Florentiæ ægrotaret Ludovicus frater, repente, & ne venia quidem a magno Duce impetrata, in Patriam reverſus eſt Laurentius exeunte vere an. MDCLXXVIII. Hoc eodem tempore nuntius Florentiam affertur, Laurentium toto animo cogitare de ducenda uxore Principe quadam femina cognomento Pia. Egerat ipſe per ſe, & molitus aliquid erat de hac re, priuſquam Vienna, ubi ſolitus fuerat frequentare domum illius primariæ feminæ, proficiſceretur. Sed ut intellexit id diſplicere magno Duci, ſuſceptam cogitationem abjiecit. Is longius ductum iri exiſtimans morbum fratris (hydrope enim laborabat) Viennam remigrare ad ſuum munus deſtinavit. Sed obſtitit magnus Dux, qui retinendum apud ſe magni conſilii, & altæ mentis hominem putavit. Itaque & gradum honoris in ſua Aula, & ſedem in ſuis Ædibus, & annuum ſtipen-
N dium

dium ſexcentorum aureorum eidem aſſignavit. Viennam vero legavit Petrum Antonium Gerinium, qui quod gratiſsimus ea in civitate fuerit, commendationi in primis Magalotti ſe debere confeſſus eſt. Alias quoque, neque obſcuras declarationes dedit Coſmus opinionis ſuæ de Magalotti prudentia, ac fide. Sed cum ex omnibus partibus Principis amor minime ſe Laurentio oſtenderet, id ei erat moleſtiſſimum. Qua in re non ſatis ſe videre oſtendebat, illam laudem ſapientiæ eſſe maximam, non aliunde pendere, nec extrinſecus tranquille vivendi ſuſpenſas habere rationes, præſertim cum idem haberet ſolatia, quibus ſe ſuſtentaret, optimæ mentis conſcientiam, maximarum rerum gloriam, & optima rum artium ſcientiam. Doluit etiam mortem fratris, quam obivit menſe Novembri MDCLXXVIIII. & acrem doloris morſum in eo fuiſſe ſatis declarant epiſtolæ plenæ querelarum & luctus, quas hoc tempore ad amicos dedit. Solus cum ſuſtinere deberet onus domeſticarum rerum [nam qui ſupererat frater Alexander Neapoli commorabatur] de levando ſibi hoc moleſto

onere

onere cogitavit. Egit igitur ſemel iterumque de ducenda uxore; egitque primo cum Olinda Piccolominea, deinde cum Portia Romulia feminis primariis, & viro non ſolum maturis, ſed etiam aſſuetis, cum harum utraque matrimonio antea juncta fuiſſet, liberoſque ſuſcepiſſet. Sed ne res conficeretur variæ obſtiterunt difficultates. Magnam tamen Laurentio præbebant levationem, ac perfugium humaniora ſtudia, quibus indulgebat præſertim, cum ſe de aula, & urbe tamquam ex vinculis in otium, ſolitudinemque conferret. Anno MDCLXXXIV. odas XV. Italicas condidit, quibus pingit formam quamdam mulieris nobilitate inſignis, eximiaque pulchritudine, neque tam corporis, quam animi bonis omnibus præditæ; quid illa agat, ut ſe oblectet, quibuſque induatur ornamentis. Non hanc reperiri poſſe in natura putavit Laurentius; quapropter inſcripſit libellum hunc carminum, *La Donna immaginaria*; in qua muliere exprimenda tantam magnitudinem, varietatem, novitatem, multitudinemque colorum adhibuit; ut ſi dilatarentur, ac ſpargerentur, quæ idem uno libello

 colle-

collegit, contraxitque cogitata, multorum poſſent Poetarum condire volumina. Sed dum nimium veritati rerum ſervire voluit Poeta, haud potuit libere vagari poetico ſtylo, & efficere, ut delicate, & molliter verſus fluerent; ipſaque copia rerum eam ſæpe obſcuritatem affert, ut vel ipſe Auctor in his ſuis legendis odis aliquot annos poſtquam eas compoſuerat, non ſemel hæſiſſe confeſſus ſit. Utitur etiam interdum verbis novis, noviſque dicendi modis; quod condonandum eſt Poetæ, qui res non antea dictas, & quæ recentiſſime in uſu, atque mulierum more verſabantur, ſibi exprimendas propoſuit. Ceterum qui has ipſas odas contemplatur, nunquam ſatis admirari poteſt in Magalotto acumen ingenii, & magnarum rerum ſcientiam, quod judicium fecerunt quoque ſummi Poetæ Franciſcus Redius, Vincentius a Filicaja, & Paullus Falconerius, quos in primis habere voluit ſuorum carminum Ariſtarchos. Sed præſertim excellentem eruditionem, atque doctrinam oſtendit Laurentius in triginta novem epiſtolis, quas ad amicum ſcripſit, ut ei probaret Deum eſſe, ſeu potius ut dilue-

dilueret omnia, quæ adverſus hanc veritatem objici ſolent argumenta. Non dubitat, neminem, aut perpaucos eſse, qui veri ſint Athei; hos Deum negare, quia illum peccatorum vindicem metuunt, & oderunt, aut quod ipſum intelligere ſe poſſe deſperant. Quod omnium gentium, generumque hominibus perſuaſum ſemper fuerit Deum eſse aliquem, id ſatis magnum argumentum cenſeri debere dicit ad convincendos Atheos: ritus ac cæremonias chriſtianæ, ac præſertim catholicæ religionis ſanctiſſime tuendas, neque in eis quidquam eſſe, quod minus pietatem redoleat. De ortu mundi diſſerens non repugnat eſſe quædam perquam obſcura in principio Geneſis, ubi Moyſes hiſtoriam creationis mundi narravit, maxime tamen convenire ait humanæ rationi Philoſophiam Moſaycam: acute explicat quomodo dici potuerit, uno eodemque loco originem habuiſse Tigrim, Euphratem, Gangem, & Nilum: probat Democriti corpuſcula haud eſſe rerum naturale principium; neque ex concurſu fortuito materiæ effectum fuiſſe cælum, & terram: ipſam materiam, ipſumque mun-

dum aliquo a principio, id eſt a Deo, minime vero ex æterno tempore intelligi debere: convincit neceſſe eſſe, eos turpiſſime labi in rerum divinarum opinione, qui illas ſe aſſequi arbitrantur, duce, & magiſtra Philoſophia; qua occaſione prudenter diſſerit de diverſis Philoſorum ſectis, eorumque uſu in Theologia. Oſtendit demum & quidem ſubtiliter, rationis expertes eſſe illos, qui rationem, ceteraque, quæ ſunt propria ſpiritus, ineſſe in materia poſse ſibi fingunt. Et hæc quidem in prima parte operis. In ſecunda autem hoc primum vult perſuadere Auctor, haud eſſe ſane quod Athei ſigna, & miracula requirant, ex quibus probetur Deum eſſe, cum tota, aut magna vis eorum ſita ſit in Fide: quare hujus Fidei expertes illa ſemper eluſuros eſſe ad arbitrium, libidinemque ſuam: deinde exquiſitis rationibus evincit, quæ de Chriſto multis ante ſæculis præſenſa, & prædicta vere fuerant, totam illius vitam, leges, inſtituta clariſſima eſſe ipſius divinitatis argumenta. Quæ quidem omnia quamquam non ita tractentur, ut continuatio quædam, ſerieſque re-

rum

rum appareat, neque una ex altera naſcatur epiſtola, omneſque inter ſe colligatæ ſint, hæ tamen continent quaſi theſauros rerum divinarum, ad quas explicandas non ſolum adhibuit Laurentius genus orationis ſolidum, ſæpe illuminatum translatis verbis, & cum dignitate elegans, ſed etiam copiam ſententiarum, & ἀποφθεγμάτων, narrationes rerum geſtarum, crebras ſimilitudines, comparationes, exempla, auctoritateſque graviſſimorum ſcriptorum. Profecto tanta cognitio rerum, quæ ad Theologiam pertinent, non admodum expectabatur a Magalotto, qui totam vitam in aliis ſtudiorum generibus conſumpſiſſe videbatur. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo potuit hanc quoque laudem ceteris adjungere; neque illam mediocrem fuiſse oportet, cum vir eruditione præſtans Petrus Franciſcus Toccius Laurentianæ Florentinæ Baſilicæ Canonicus non dubitaverit affirmare in vita Vincentii Viviani, nihil & ſua & patrum memoria vidiſſe Italiam, quod pertineret ad convincendos Atheos, quod cum Magalotti epiſtolis comparari poſſet. Quarum epiſtolarum fama cum ad multos ſtatim pervaſiſſet, invito qui-

dem auctore, qui eas occultare volebat, non potuit hic ipſarum lectionem negare quibuſdam intimis amicis ſuis. Fuit inter hos Jeſuita Franciſcus Raſponius, qui nimium invidens laudi & gloriæ Magalotti, hanc ei eripere, veteris oblitus amicitiæ, cogitavit. Dialogum enim ſcripſit totum ferme compactum verbis & rebus, quas ex iiſdem epiſtolis ſumpſit; & edidiſſet quoque in vulgus, niſi re comperta, illius impudentiam opportune repreſiſſet Laurentius. Quo obtento, culpam violatæ fidei reo libenter condonavit, quod magni animi eſſe cenſebat injurias obliviſci. Neque illud leve reconciliatæ gratiæ argumentum, quod eumdem rure ſuo ſuburbano, ubi magnam anni partem degebat, humaniſſime receperit, & cenſorem ipſarum epiſtolarum una cum Petro Pinotio Monacho Ciſtercienſi, aliisque doctis viris habere voluerit. Hæ autem epiſtolæ etſi utiliſſimæ, & ſalutares fore hominibus viderentur, non minorem taman utilitatis fructum iisdem ſe allaturum putavit Laurentius, ſi libro exponeret artem inſtituendi Principem, regendique populos pie, juſte, ac prudenter.

De

De quo opere , quod inſcripſit : *la Concordia della Religione , e del Principato* , factum eſt a ſe diligenter , multumque in manibus habuit. Etenim non communia , & contrita præcepta tradere volebat , ſed e media ſumpta Philoſophia , ac Politica , quæ haberent ordinem , & quaſdam in adminiſtratione Reipublicæ errare non patientes vias . Quod idem opus , poſtquam magna ex parte abſolviſſet , facti neſcio qua de cauſſa pœnitens in ignem conjecit . Ejuſdem tamen ſuperfuit ſylva quædam rerum , & ſententiarum , ex qua apparet , egiſſe primo de religione , & juſtitia , deinde modum docuiſse parandi ſibi fidos , atque optimos amicos , ſervos , & adminiſtratores , veroſque a falſis dignoſcendi , & explicaſſe ſicuti ſe gerere debeat Princeps cum pauperibus , delatoribus , eriminum , ac præſertim privatorum reis , nobilitate , & plebe , ut benevolentiam , & timorem ſibi conciliare , liberos educare , publica ſpectacula moderari , bellum adminiſtrare , fines imperii propagare , commercium augere , & non ſolum domeſticas , verum etiam externas res ſagaciter indagare queat . Eodem tem-

tempore, quo hæc ſcribebat Laurentius, habuit familiaria negotia, ſane moleſta, ad quæ incumberet; atque horum cauſſa debuit Romam, & Neapolim, ubi frater illius Alexander degebat, advolare. Mortuo vero eodem fratre, quod fuit an. MDCLXXXVII. menſe Novembri, Romam rediit, ut illatam litem a Savellis, & Urſinis in partem hæreditatis, quæ ſibi venerat a Cardinali Laurentio Magalotto propinquo ſuo, præſens propulſaret. Diſceptare quoque debuit cum Quæſtoribus Pontificiis cauſſa ſpoliorum, quæ frater, cui duo ſatis ampla Sacerdotia fuerant, reliquerat. Explicatis magna ex parte his negotiis, cogitavit ſedem, ac domicilium collocare in ipſa Urbe, nomenque dare aut Clericali, aut Hieroſolymariorum equitum militiæ. Verum hortatu Aloyſii Oricellarii, Philippi Martellii, aliorumque amicorum propoſitum mutavit. Florentiam igitur autumno anni MDCLXXXVIIII. remigravit; eodemque ferme tempore factus fuit a Conſiliis magni Ducis. Ab hoc etiam adhibebatur ad alias res, in primis ad excipiendos, ſociandoſque dignitate illuſtres homines,

nes, qui Florentiam adveniebant; parumque abfuit, quin mitteretur in Hiſpaniam, ut conciliator eſſet matrimonii inter Carolum II. Regem, & Annam Mariam Ludovicam ejusdem Magni Ducis filiam. Curaſſet profecto Laurentius mandatum diligenter, dextereque, adeo ut non ſine cauſa plerique contrarium rei exitum tribuerint mutationi conſilii, quam fecit Coſmus, cum Marchionem Caſtilioneum elegiſſet, cui illud oneris committeret. At præſertim fidem, prudentiam, officia, obſervantiamque Laurentii diligebat Cardinalis Franciſcus Maria Mediceus; & incredibile eſt quam ejus congreſſus, ſermoneſque ſapientiæ plenos optaret; & cum ab urbe abeſset, nulla fere hebdomada intercedebat, qua non ad eum ſcriberet, & modo aliquid de rebus publicis ab eo requirens, modo aliquam eruditam quæſtionem proponens ejus verboſiores eliceret epiſtolas. Hæc quidem, quamvis honorificentiſſima, ſeu quod contemnere didiciſſet Laurentius, ſeu quod majora, ut multi ſuſpicionibus judicarunt, concupiſceret, expectaretque a Romano Pontifice, ſeu quod deſiderio æſtuaret

ret obligandi ſe ſacræ militiæ ſacramento, a qua non ſuam voluntatem, ſed ſuas vitæ rationes ab ineunte fere ætate ſuſceptas ſe prohibuiſſe dicebat, Romam venit ineunte Martio an. MDCXCI. & in Collegium Sacerdotuma S. Philippo Nerio inſtitutum cooptari voluit. Pervulgata, & percelebrata ſermonibus illico res fuit non ſolum in Italia, ſed etiam apud exteras cultiores gentes, quibus notiſſimus erat Magalottus; deque ea ceteros inter ſcripſit Leibnitius in epiſtola quadam ad amicum, negans id conſilii ſe probare poſſe in altæ mentis, ſummæque prudentiæ homine. Probavit certe magnus Dux Comſius; utque intellexit multa inveniſſe Laurentium in novo vitæ genere, quæ illius natura pati omnino non poterat, ipſum per litteras hortari non ceſſabat, ut conſtantia impedimenta ſuperaret, & in repugnantia tot rerum, animique angore dolos, machinas, & præſtigias communis hoſtis agnoſceret. Nihil hæc conſilia levabant Laurentium, cujus animus majoribus quotidie exedebatur curis. Itaque ne diutius miſerrimam vitam degeret ad priſtinum ſuum ſtatum quinque poſt men-

menſes tyrocinii rediit. Quod ſi datum eſt iis, qui ab itinere ſibi a Deo aſſignato melioris boni ſpecie paullum deerraverunt, corrigere errorem pœnitendo, omnem profecto inconſtantiæ maculam eluit Laurentius, in quo tanta vis fuit pœnitendi, ut miſericordiam commoveret. Roma contulit ſe ad villam ſuam, quam habebat loco montoſo, & ſylveſtri ſitam ſeptimo a Florentia lapide, quo facilius ibi non ſolum conſuetudinem, ſed etiam aſpectum hominum vitaret; tantuſque erat in illo ſolitudinis deſiderium, ut in tenebris, tamquam in gurguſtio habitare optaſſet. Non potuit tamen novem poſt menſes, quibus remotus ab omnium oculis vixerat, recuſare Magno Duci, ut Florentiam ad eum veniret; cumque & benigne exceptus, & in priſtino dignitatis loco repoſitus ab illo fuiſſet, ſenſit ſe aliquantulum acerbiſſima ægritudine ſua levari. Non mediocre quoque levamentum reperiebat in ſtudiis ſuis, quæ colebat præſertim ruri dum eſſet. Erat autem quantum patiebantur munus ſuum, & officia, quæ Principi præſtabat. Studium Philoſophiæ jamdiu intermiſſum revocare cogitavit; eaque

que propter iterum ſumpſit in manus ab adoleſcentia inchoatum opus de naturalibus quæſtionibus ; ſed brevi illius abſolvendi ſtudium depoſuit : Hoc opus quale futurum eſſet facile exiſtimabit is , qui leget volumen illud , cui titulus : *Lettere ſcientifiche , ed erudite del Co. Magalotti* , quodque an. MDCCXXI. in lucem edidit Thomas Bonaventurius. Sunt enim in eo epiſtolarum volumine haud pauca, quæ ad easdem naturales quæſtiones pertinent, qualia ſunt illa , quæ ſummam frigoris poteſtatem explicant ; quæ repetunt a diverſa ſalium natura , & figura , quibus vina , aliaque corpora ſunt prædita , quosdam ſanguinis æſtus ; quæ rationem reddunt ſi non vere , ſane ingenioſe , motus corporum gravium , & lucis; quæ cum elegantiſſime , tum acute exponunt illud Galilæi effatum , nulla re alia vinum componi , niſi luce & humore , quod vidiſſe etiam Dantem exiſtimo ; & quæ verſantur in inveſtigatione unde fiat , quod facilius ab odoratu , quam a ceteris ſenſibus decipiamur. Quidquid ſcripſit de odoribus Magalottus, profecto ita ſcripſit , ut ſe percupidum eorum , & cujuſ-
vis

vis ferme generis & intelligentem, & copioſum oſtenderet; adeoque extulit odorum ſcientiam, ut affirmare videretur, multa in ea reperiri Politices, atque Ethices ſemina, haſque facultates maximam habere ſimilitudinem inter ſe. Ad res naturales, quæ in memorato epiſtolarum volumine continentur, referri etiam debent obſervationes habitæ an. MDCLXIII. coram Magno Duce Ferdinando, quibus probatur, viperas habere venenum in vaginis quibuſdam, quæ dentes tegunt; & quæ demum rationem reddunt, quare, diu aciem oculorum intendenti in Cometam, qui apparuerat an. MDCLXIIII. hic non amplius radiatus cerneretur, iterum vero cerneretur, ſi palpebræ moverentur. At quæ hoc loco attigit Magalottus de theoria cometarum, nequaquam conſentiunt cum iis, quæ tradidit Joannes Dominicus Caſſinius, cujus ſententiam una voce & conſenſu approbarunt recentes Aſtronomi. Accedunt ad pretium ejuſdem voluminis elegans deſcriptio, quam Laurentius fecit ſui Lonchiani ruris, in quo imitari voluit exemplum C. Plinii Secundi, S. Baſilii, aliorumque veterum Scriptorum; enodatio-

tiones locorum quorumdam Tertulliani, S. Auguſtini, & Synodi II. Nicenæ, nec non explicatio argumenti ſatis probabiliter oſtendentis ex amore, quo multi feruntur in bruta, hæc anima prædita eſſe. At qui talia, & majora etiam ex ſe gignere poterat, non dubitavit tamen, quod mireris, ad occupationem deſcendere convertendi aliorum ſcripta in Italicum ſermonem; tamque multa & varia convertit iis temporibus, quibus rus abdiderat ſeſe ut hac re maxime videretur delectari. Fecit Italica, ut præcipua commemorem, opuſcula haud pauca Sancti Euremondi, in quibus, ut & in ceteris præclari illius viri ſcriptis, admirabatur præſtantiam judicii, magnitudinem cognitionis, & genus orationis totum ſplendens & ſententiis, & verbis. Non ſemel ego notavi ex iiſdem ſcriptis totidem ferme verbis tranſtuliſſe Magalottum in ſua illuſtriores ſententias; & ut ſe æquaret Sancto Euremondo ſcribens ad amicos modo de amicitia, modo de imitatione, modo de animi fortitudine, quæ æqualiter omnibus hominibus eſt diſtributa, modo de aliis rebus, quæ in diſceptationem, quæſtionem

nemque vocaretur, tractavit. Expreſſit de Anglico Italicis verſibus, quos ſolutos appellamus, partem poematis, quod de amiſſo Paradiſo fecit Miltonius, & poemata hujus æmuli, & imitatoris Joannis Philipſii, quæ inſcribuntur *il Sidro*, & *lo Scelino lampante*, alterumque poema ab Edmundo Walerio conditum de certamine Bermudarum. Sunt in manibus hominum quæ ex eadem Anglica lingua in Italicam convertit de Nilo, ejuſque alluvionibus, de rariſſimis quibuſdam avibus, de Imperatore Abyſſinorum, de mari Rubro, de palma, ejusque utilitate, atque cultu. Vertit etiam nonnulla ex Arabo, Syriaco, Turcico, Hiſpanico, Gallico, & Luſitano ſermone, quorum pleraque ornant volumen, cui titulus: *Canzonette Anacreontiche di Lindoro Elateo*, quod nomen erat Magalotto apud Arcades. Quoniam autem mentionem fecimus hujus voluminis carminum, admonendos lectores putamus, nihil in illo eſſe quod venuſtate non affluat, & imaginibus agentibus & inſignitis; neque ſatis quempiam admirari poſſe varietatem, novitatemque rerum, quas coloribus poeticis pingendas ſibi

auctor propoſuit. Extant quoque in eodem volumine carmina quædam dithyrambica de vaſis illis fictilibus Americanis, quæ aſperſa aqua terram olent, quæque *Buccheri* appellamus. Porro ita meritus eſt Laurentius de hoc vaſorum genere, ut non contentus ſuis illa carminibus celebraſse, obtinuerit etiam ab illuſtrioribus Italis Poetis amicis ſuis, ut eorumdem laudes canerent. Qua in re non tam ſatisfecit ſuo in odores amori, inter quos jam ab antiquiſſimis temporibus, ut Cicero, & Plinius teſtantur, ſummo in pretio fuerunt qui terram ſapiunt, quam voluntati lectiſſimæ feminæ Octaviæ Stroctiæ. Hujus rogatu ſcripſit etiam octo epiſtolas ſane longas, plenaſque leporis & feſtivitatis, quibus omnia, quæ vel per ſe, vel per amicos fide dignos de *Buccheris* ſcire potuerat, expoſuit, notans nominis etymon, illorum diverſa genera, uſum cum apud Americanos, tum apud Europæos, ſive is pertineat ad privatum, & publicum luxum, ſive ad medicinam, ſive ad ornamentum, ſive ad oblectationem; qua occaſione exponit, quid inter ſe differant populi Orien-

Orientis, & Occidentis ſenſu & ſtudio odorum. Neque illud eſt prætereundum, Magalottum omnium primum ex Hiſpania in Italiam traduxiſse uſum *Buccherorum* tum ad voluptatem odoratus, tum ad ornatum cubiculorum; a quo tamen uſu jamdiu faſtidio quodam, & ſatietate abalienati ſumus. Poſtquam volumen illud epiſtolarum de *Buccheris* Romam miſerat Laurentius ad Octaviam Strociam, laboris ſui illum vehementer pœnituit, quod diceret, has ineptias haud dignas eſſe provecta ætate ſua, ac dignitatis gradu, quem obtinebat. Tum optime ſe collocare operam judicabat, ſi Magno Duci, quod non ſemel accidit, de augendo in Etruria commercio conſulenti reſponderet; ſi inſtruere deberet aut voce, aut ſcripto quos idem Magnus Dux ad Europæ Principes legatos deſtinabat; ſi cum amicis vel coram, vel per epiſtolas locos graves ex Theologia tractaret; ſuſpexique inter ceteras, quas hujus generis ſcripſit epiſtolas unam ad Franciſcum Froſinum Archiepiſcopum Piſarum, in qua illud Algeri Cluniacenſis dictum explicat: *Sed quomodo impoſſibi-*

le videtur, ut caro Verbi Dei, quæ multo ſpiritualior, & potentior eſt verbo noſtro, ſit tota, & integra in ore omnium ſumentium, cum verbum noſtrum unum idemque totum & integrum ſit in auribus omnium audientium? Magnum quoque operæ, & laboris fructum illum putabat, poſſe amicis prodeſſe. Quare minime eſt mirandum, ſi ſæpe occupabatur in illorum ſcriptis virgula cenſoria notandis. Quod officium præſtitit, ceteros inter, Franciſco Redio, Vincentio Filicajæ, Laurentio Bellinio & Gabrieli Faſanio in iis rebus, quas verſibus mandarunt, Philippo Corſinio in ea, quam fecit Mexicanæ hiſtoriæ Italica interpretatione, & Seraphino Franciſco Regnerio Gallo, cum hic Italicis carminibus reddidiſſet Anacreontem, & Homeri Iliadem. Suſpicor etiam, Mariam Silvagiam Borghiniam auxilium haud mediocre habuiſſe a Magalotto in difficillimo, quod ſuſceperat, exequendo munere transferendi in Italicam linguam Tertulliani opera, quæ idem ſcripſit antequam Montani hæreſi inficeretur. Nec minus faciles in ſe expertus eſt amicos, cum eorum cenſorium judicium

dicium de ſcriptis ſuis exquireret. Fuit enim ſemper iſta doctorum, & ſapientum hominum conſuetudo, ut ſibi invicem examinanda proponerent, quæ litteris mandabant; & reprehendi, & reprehendere libere & amice nunquam recuſarent. Tanta autem vis erat amicitiæ in Magalotto, ut non ſolum ingenii, ſed etiam rei familiaris facultates ad amicorum ſubſidium paratas haberet; nec facile invenias, qui illo magis in amicitiis conciliandis, colendiſque excelluerit. Et ſi quando cauſsæ ſuſpicionum, offenſionumque datæ ſunt, aut vitabat, aut elevabat, aut patienter ferebat. Bis accidit, ut reprehenderetur a Falconeriis fratribus, quaſi deſciviſſet ab officio amicitiæ, quod eos participes non fecerat quorumdam negotiorum, quæ taciturnitati ſuæ concredita fuerant; ſed ita ſe illis purgavit per litteras, ut in his clariſſima fidei, probitatis, & virtutis ſuæ teſtimonia reliquerit. Sic cum ſe gereret, facile illud aſſequebatur, ut veterrimas retineret amicitias, quas ut ea vina, quæ vetuſtatem ferunt, ſuaviores eſſe dicebat. Poſſem hoc loco enumerare illuſtriores ejuſdem amicos. Sed

id nimis longum, atque adeo etiam injucundum foret. Cum quidem ille multas Provincias peragraſſet, ubique, ac præſertim in Anglia, & Gallia amantiſſimos ſui reliquit, a quibus & præſens, & abſens ſingularibus affectus fuit honoribus. Sæpe etiam incidit, ut qui ne de facie quidem noverant Laurentium, moti celebritate nominis, ipſius amicitiam appeterent, quos minime repudiabat, ſi ſpes erat fore, ut tamquam herbæ non fallaces, fructus lætos & uberes eſſent allaturi. Horum in numero fuit Joannes Sommerſius Anglus, vir multis nominibus ſpectatiſſimus, cujus officiis retulit acceptum Laurentius, quod an. MDCCVII. cooptatus fuerit in Regiam Londinenſem Societatem, a qua præclara ſane, debitaque ejus doctrinæ teſtimonia accepit. Plurimis quoque aliis officiis Sommerſius ſibi in perpetuum Magalottum devinxit. Crebris enim litteris amoris, & obſervantiæ plenis illum appellabat; ad omnia, quæ ipſum velle arbitrabatur, ita præſto erat, ut non alienam, ſed ſuam rem agere videretur; eumdemque donavit etiam aliquando horologio opera mirabili confecto,
quod

quod donum plane regale reputatum eſt. At Magalottus, qui nullum officium referendæ gratia magis eſſe neceſſarium videbat, & qui majore etiam menſura, ſi modo quis poſſet, reddere beneficia præcipiebat, neque amore, neque liberalitate ſe a Sommerſio vinci eſt paſſus. Sic communicatis animi ſenſibus, ultro et citro datis, acceptiſque beneficiis, et muneribus, in his duobus viris illud effectum eſt, ut æque quiſque altero delectaretur, ac ſe ipſo. Nec mediocris eſt illa laus Magalotti, quod in Heterodoxorum amicitiis ita ſe tractaret, ut nullam occaſionem porrigendi, ac tendendi iis lumen veritatis amitteret; illudque fuit poſtremum religioſi hominis opus, quod ſcripſit, ut amico perſuaderet, divina providentia factum fuiſſe, ut miracula, veluti inſignes veræ Fidei notæ, nullo non tempore apparuerint. Haud ſcio an quidquam fieri perfectius poſſit hoc commentariolo, quod tamquam ſuaviſſima cycnea vox proximum Laurentii interitum viſum eſt prænuntiaſſe. Aliquot jam erant menſes cum ille cœperat incommoda eſſe valetudine; vix ſomnum ca-

 pere

pere poterat; vires, quibus ſatis firmis, ingraveſcente etiam ætate, uſus fuerat, multum ipſum defecerant; et interdum anhelans ex imis pulmonibus ægre ſpiritum ducebat. Namque tabes ipſos pulmones infecerat; cumque remedia nulla fuiſſent, vi morbi conſumptus eſt Magalottus poſtridie Kal. Mart. an. MDCCXII., cum compleſſet quatuor et ſeptuaginta annos, menſes duos, dies ſeptemdecim. Fuit hæc mors acerba patriæ, in qua ille florentiſſima multum omnibus gloria præſtitit, luctuoſa amicis, et bonis omnibus, quibus ſuavitate ingenii, et morum Laurentii frui licuit, gravis Italarum litterarum amatoribus, qui conqueri non ceſſabant hujusmodi caſu damnum irreparabile ipſas litteras feciſſe. Sepultus eſt in Æde S. Florentii in monumento majorum ſuorum. Scripſit heredem Hippolytum Venturium, quo neminem arctiore propinquitatis vinculo conjunctum habebat. Nam familia Magalotta, illuſtris illa quidem, et pervetus, cujus nobilitatis graviſſima, et certiſſima monumenta vel a ſæculo XIII. repetuntur, extincta eſt morte Laurentii. Sed vigebit

gebit ejus nomen memoria ætatum omnium, præſertim ob partam illi a Laurentio gloriam, cujus ſingularis doctrina, et excellentes virtutes vel obſcuram potuiſſent illuſtrare familiam. Ex omnibus autem ipſius virtutibus eluxit in primis pietas adverſus Deum, cujus rei hæc erunt teſtimonia. Nullum quamvis leve religionis perſolvebat officium, quin ex toto corporis habitu quidam animi ardor emicaret: precationes illas, quibus veteri Eccleſiæ inſtituto ſacris initiati utuntur, quotidie recitabat: mirifice oblectabatur divinorum librorum lectione; & poſtremis, quibus vixit annis, in hoc præſertim occupatus eſt, ut in Etruſcum ſermonem transferret aut Prophetarum cantica, aut Davidicos Pſalmos, aut aliquod Sanctorum Patrum opuſculum, aut partem operum Sanctæ Thereſiæ, alioſque hujus generis libros ſive Latinos, ſive Hiſpanicos, ſive Gallicos agentes de rebus cæleſtibus, humanaque vita ſancte gubernanda. Obibat etiam octavo quoque die ſacra Confeſſionis, & Euchariſtiæ myſteria; & ſemel aut iterum in annos ſingulos ſe abdebat in religioſam domum,

mum, quam Florentiæ incolunt Sacerdotes ii, qui *Congregationis Miſſionis* dicuntur, ut liberius Deo vacaret. Ex hac autem incenſa in Deum caritate egregius in homines amor redundabat, cui unice tribuenda ſunt multa, quæ ſcripſit, ut errantes animos, quos miſerabilis Dei, divinæque legis ignoratio tenebat, ad veritatem traduceret. Fuit, ut alibi diximus, gloriæ, honorumque cupidus; quod animi vitium ut debellaret, & radicitus evelleret, viſus eſt interdum repueraſcere. Neque illud edomitæ ambitionis mediocre eſt indicium, quod hoc peccato, aliiſque, in quæ incurrit, dum prima juventus efferbuit, graviter ſeſe accuſaret. In eo etiam gloriæ cupiditatem continuit, quod non paſſus eſt ſua ſcripta, ſi ea excipias, quæ pertinent ad Academiam *del Cimento*, et pauca quædam alia, in aſpectum hominum prodire; quodque multa eorum, quibus extrema manus jam acceſſerat, cremavit. Invitanti amico cuidam, ut exemplo Franciſci Redii, qui ſuum vulgaverat Dithyrambum, ipſe quoque ederet Eclogam dithyrambicam, quam condiderat de florum laudibus,

bus, cuique nomen impoſuerat *la Madreſelua*, reſpondit illis Statii verſibus:

..... nec tu divinam Æneida tenta

Sed longe ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Quæ quidem, aliaque multa, quæ poſſem afferre, ſatis comprobant nihil a Magalotto ab fuiſſe longius faſtu, et arrogantia; quod vitium tum in ſe, tum in aliis, quamquam ei eſſet perſuaſum, nobis inter nos noſtra eſſe ſive vitia, ſive incommoda toleranda, pati minime poterat. Summam ei natura tribuerat gravitatem, confirmaverantque doctrina, ætas, et ampliſſima, quibus functus eſt, munera; ſed illam ipſam tanta comitate, facilitateque condiebat, ut homines non minus ad ſe diligendum, quam ad obſervandum alliceret. Augebat gravitatem dignitas oris, in quo effictam majeſtatem dixiſſes. Non propterea tamen multa non erat, cum tempus poſceret, in eodem hilaritas; et delectabatur etiam interdum genere jocandi eleganti, urbano, ingenioſo, faceto: dicebat enim ſæpe accidere, ut plus profici poſſit lepore, et facetiis [non enim vivimus cum perfectis homini-

minibus] quam Philoſophia. Sed præſertim excelluit illo facetiarum genere, quod poſitum eſt in narratione aut fabellarum, aut rerum ex hiſtoria ſumptarum, quæ ſimilitudinem faciunt. At ſive de jocoſis, ſive de ſeriis rebus loqueretur Magalottus, decorum ſemper ſervavit; quod mirabiliter etiam præſtitit in æqualitate univerſæ vitæ, ſingularumque actionum. Nihil enim in eo diſſonum, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem. Liberalis, non prodigus; beneficus, minime vero gratiæ exactor; prudens, non timidus; pectore candidus, non aſper, et maledicus; doctus, non glorioſus, aliorumque contemptor; philoſophus, ſed a triſti, et horrida ſapientia prorſus alienus. Elegans, ſplendiduſque omni diligentia munditiam, non mollitiem affectabat; omnibuſque rebus, quæ ad vitæ cultum pertinent, optimis uſus eſt. Domum habebat trans Arnum prope pontem Sanctæ Trinitatis, cujus amœnitas conſtabat non laxitate, et magnificentia ædificii, quod tamen ſatis habebat ſalis, ſed ſilvula, horto floribus halante, picturis, et multa ſuppellectili, non

illa

illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis, et in omni re exquiſito judicio pollentis. Sæpe autem cum ad prandium invitaret amicos hos non minus animo, quam ventre paſcebat, cum aut excitaret eruditas quæſtiones, aut ſermones de rebus publicis induceret, aut legeret aliquid, aut viſa a ſe in diuturna peregrinatione narraret. Et amplam quidem ſegetem narrandi is habebat, qui fuit perſpicacia ſingulari, et incredibili in noſcendis hominum moribus, civitatumque, atque imperiorum fortunis, ac ſtatibus, neque minori diligentia in notandis. Ei rei ſunt indicio tria volumina, quæ ſcripſit de quibuſdam regnis a ſe peragratis, in quibus etiam, ut vates, nonnulla futura prædixit, facile ut exiſtimari poſſit prudentiam eſſe divinationem. Minime igitur eſt mirandum, ſi ejus conſuetudo expeteretur ab omnibus; ſi ejus domus ſummorum hominum ſplendore celebraretur; ſi magna, et in primis gravis eſſet apud omnes ejus auctoritas, et multi ſæpe ab eo conſilia peterent. In explicandis autem cogitationibus ſuis, præſertim ſi magnitudo rei poſtulabat, tantum eloquentia

tia valebat, ut Suada ipſa, quemadmodum de Pericle ſcriptum eſt, in ejus labiis ſeſſitare videretur. Fuit aliquando, ut ſupra narravimus, oratio Magalotti tota pura, totaque Etruſca. Poſtquam autem idem multorum vidit mores, atque urbes, multaſque ex teras didicit linguas, infuſit in illam aliquid peregrinitatis; eaque propter ſæpe reprehenſus eſt a civibus ſuis. Nihilo tamen minus vere contendere mihi poſſe videor, illum retinuiſſe ſemper opimum quoddam, et quaſi adipatæ dictionis genus; et in iis præſertim quæ ſcripſit cum eſſet ætate provectior, lucere orationem pompæ plenam, illuſtrem, ſplendidam, ut habeat ſummam ſpeciem, et dignitatem, præ ſe feratque, quod de Meſſala olim prædicatum eſt, Auctoris nobilitatem. Hanc autem laudem debuit in primis Magalottus rerum magnarum uſui, et matri illi omnium non ſolum bene factorum, ſed etiam bene dictorum Philoſophiæ, qua pectus ſuum oneraverat, atque compleverat. Nullius Philoſophorum diſciplinæ ignarus fugit veteris auctoritatem, riſitque ſemper eos, qui unius

diſci-

Digitized by Google

diſciplinæ legibus adſtricti, ſuumque minime adhibentes judicium, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Hinc in diſputando nonniſi rationum momenta quærebat, acuteque expendebat; et in inveſtigatione naturæ nullam aliam ducem, quam ſequeretur, præter experientiam voluit. Non negabat tamen multa reperiri in Democraticorum, & Epicureorum libris, quæ ſatis probabiliter rationem redderent quorumdam naturalium effectuum. Plurimum uſus eſt Platonicorum opinionibus in ſcribendis verſibus. In eo certe non ſe Platonis ſtudioſum oſtendit, quod averſiſſimis auribus fuerit a muſica. Dicebat etiam, idcirco quod multa ſint in Platonis libris, quæ valde congruere videntur cum iis, quæ Chriſtiana Religio tenet, ſæpe accidiſſe, ut non pauci ſpecie veri in errorem inducerentur. Unde illud in ore habebat ex Tertulliano: *doleo Platonem, cetera bonum, hæreticorum omnium condimentarium factum*. E recentioribus Philoſophis unum præ ceteris admirabatur Galilæum; & beatos illos appellabat, quibus contigit cum eo verſari, illiuſque vocem ſapientiæ

tiæ plenam audire. De opinione autem doctrinæ, & virtutis, quam Magalottus habuit apud ſummos viros, quid plura commemorem? Prope infinitum eſſet ſi colligere vellem ampliſſima teſtimonia, quæ eidem tributa ſunt non ſolum ab Italis noſtris, ſed etiam ab illuſtrioribus alienigenis; ſatisque erit dicere omnes uno ore conſenſiſſe, fuiſſe hominem quaſi divinum, undique ſpargentem lucem, ac lumen ingenii, virtutiſque ſuæ. Hoc repræſentat exergum numiſmatis, quod æternæ ejuſdem memoriæ dicatum eſt, in quo exergo conſpicitur radiata Phœbi imago cum hac inſcriptione: OMNIA LUSTRAT. Hæc quoque glorioſa fuerunt Magalotto, quod Franciſcus Redius, Laurentius Bellinius, & Franciſcus Seraphinus Regnerius opera quædam ſua illius nomini nuncuparunt; quodque Joſephus Averanius ipſum funebri oratione laudavit. Bene enim Cicero: *Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute.*

OPERA EDITA.

SAGGI DI NATURALI ESPERIENZE fatte nell' Accademia del Cimento ſotto la protezione del Sereniſſimo Principe Leopoldo di Toſcana, e deſcritte dal Segretario di eſſa Accademia. In Firenze per Giuſeppe Cocchini all' inſegna della Stella 1666 in fol. magno. Iterum editum eſt Florentiæ an 1691. apud Joannem Philippum Cecchi in fol. Alibi quoque typis impreſſum eſt; illud & ſummum hujus operis ornamentum reputari debet, quod clariſſ. vir Petrus Muſchembroekius; illud ipſum nobis, illuſtravit. Pertinent etiam ad Academiam *del Cimento* quæ Magalottus ſcripſit ad Octavium Falconerium, ediditque an. 1664. de Saturno ejuſque annulo, aliiſque rebus phyſicis.

LETTERA PROEMIALE per la traduzione della Concordia de' quattro Evangeliſti di Gianſenio, ſtampata in Firenze ſotto il titolo di Specchio della vita di G. Criſto 1680.

RELAZIONI VARIE cavate da una traduzione Ingleſe dell' Originale Portugheſe; del Nilo, e perche il Nilo innondi e metta ſotto la campagna d' Egitto nei giorni del maggior caldo d'Europa; dell' Unicorno, e del paſſaggio della Fenice; dell' Ucello di Paradiſo, e del Pelicano; perche l' Imperatore degli Abiſſini ſi chiami comunemente il Prete Janni; del Mar Roſſo, e ſua denominazione; della Palma, ſue varietà, frutto, utilità, e cultura. In Firenze preſſo Piero Matini 1693. in 8.

IL MENDICARE ABOLITO nella Città di Montealbano da un pubblico ufizio di Carità. Con le replica alle principali obiezioni che potrebbon farſi contro queſto regolamento. Tradotto dal Franzeſe in Firenze 1693. appreſſo Gio: Filippo Cocchi in 8.

RELAZIONE DELLA CHINA cavata da un ragionamento tenuto col Geſuita Graeber. In Firenze 1697. preſſo Giuſeppe Manni.

RAGIONAMENTI DI FRANCESCO CARLETTI Fiorentino ſopra le coſe da lui vedute ne' ſuoi viaggi sì dell' Indie Occidentali, e Orientali, come di altri paeſi &c. In Firenze nel Garbo nella Stamperia di Giuſeppe Manni 1701. *in* 8. Ideo retulimus inter opera Magalotti hanc deſcriptionem itinerum Carletti, quia Magalottus illam ordinavit, emendavit, & indice copioſiſſimo ordinavit.

LETTERE FAMILIARI del Conte Lorenzo Magalotti Gentiluomo Fiorentino, e Accademico della Cruſca diviſe in due parti. In Venezia 1761. *appreſſo Sebaſtiano Coleti in* 4. Hæ ſunt celeberrimæ epiſtolæ, quas Magalottus adverſus Atheos ſcripſit, quaſque ad Carolum Theodolum amicum ſuum inſtituit.

LETTERE SCIENTIFICHE ED ERUDITE del Co. Lorenzo Magalotti Gentiluomo trattenuto, e del Conſiglio di Stato dell' A. R. del Sereniſſimo Gran Duca di Toſcana in Firenze 1721. *per i Tartini e Franchi in* 4.

CANZONETTE ANACREONTICHE di Lindoro Elateo Paſtore Arcade. In Firenze 1723. *per Gio: Gaetano Tartini e Sante Franchi in* 8. Horum carminum nonnulla reperiuntur in parte 4. *della Raccolta del Gobbi*.

LETTERE del Conte Lorenzo Magalotti Gentiluomo Fiorentino. In Firenze preſſo Giuſeppe Manni 1736. *in* 4. Ferme totus componitur hic liber ex familiaribus epiſtolis, quas Magalottus ſcripſit ad Leonem Stroctium.

IL SIDRO Poema Tradotto dall' Ingleſe. In Firenze 1749. *preſſo Andrea Bonducci*.

LA DONNA IMMAGINARIA, Canzoniere del Co. Lorenzo Magalotti con altre di lui leggiadriſſime compoſizioni inedite &c. In Lucca 1762. *nella Stamperia di Giovanni Riccomini in* 8. Extat etiam in hoc volumine Dityrambus, quem ſcripſit Magalottus de floribus, cuique titulum fecit *la Madre ſelva*, de quo non injucundum erit intelligere quid ſcripſerit Vincentius a Filicaja in epiſtola ad Magalottum. *Sono addoſſo al voſtro Ditirambo, e lo trovo ſempre più ſplendido*

dido, e grande; ma veggo in eſſo una tal profuſione di bei concetti, e di belle idee, che io non ſo, come voi poſſiate ſcampare la taccia d'un ingegno ſcialacquatore, che non conoſce moderazione, e vuol ſempre mettere in grande tutte le coſe più piccole, e farle talmente creſcere di ſtatura, che di nane che erano, diventino giganteſche.

LETTERE FAMILIARI del Co. Lorenzo Magalotti vol. II. In Firenze nella Stamperia Granducale 1768. *in* 8. Sunt in his voluminibus ſparſa carmina nonnulla Magalotti; & in primo extat etiam hujus vitæ Italica interpretatio quam fecit Petrus Cianſognius Canonicus Laurentianæ Florentinæ Baſilicæ.

Opera Inedita.

LETTERE VIII. ſulle terre odoroſe d' Europa, e d' America, dette volgarmente Buccheri, ſcritte alla Signora Marcheſa Strozzi. Epitomen rerum, quas explicavit Magalottus in his epiſtolis, ipſe fecit in fine VIII. epiſtolæ, quodque hic referre libet. *Il Signore Iddio ha creato in queſto Mondo alcune vene di terra odoroſe, alcune in Europa nel Regno di Portogallo, e alcune in America, che una nel Regno di Cile, e due in terra di Meſſico. In quelle di Portogallo in qual più, e in qual meno, in tutte però l' odore è più tenue, più ſemplice; e benche aſſai grazioſo, ed amabile, pure ſi allontana meno da quello, che eſala ogni terreno divampato dal Sole al cadere della prima pioggia. In quelle dell' Indie ſul fondo di queſto ſteſſo odore ſpicca un aromatico, dove più, e dove meno alterato, ma un aromatico paſtoſo, e che conforta ſenza invaſare. La ſingolarità di queſt' odore hà invitato gli uomini tanto di qua, che di là a fare di queſte terre vaſi da beverci l'acqua, per godere nell' iſteſſo tempo dell' utile, e del dilettevole. A poco a poco tra la curioſità, il*

luſſo, *e l' immaginazione è talmente creſciuta particolarmente nelle Dame la vaghezza*, *la paſſione*, *o la frenesia di queſti vaſi*, *che moltiplicatene dal grande ſpaccio le fabbriche*, *e raffinata colla grand' aura la maeſtria di lavorargli ſi vedono in oggi ridotti a far figura quaſi in tutte le Corti d' Europa*, *di rarità ne' muſei*, *d'arredo galante ne' gabinetti*, *e di ſuppellettile deliziosa nelle profumerie*, *nelle credenze*, *e nelle bottiglierie per ſervire alla curioſità*, *al luſſo*, *o al regalo*.

SELVA d'una lettera al Principe Leopoldo, *con cui ſi pretende d'aſſegnare un modo*, *come gli odori poſſan eſſere ſenza che da' corpi odoroſi ſvaniſca un minimo che della loro ſoſtanza*.

ORAZIONE del vario genio del Secolo in materia d' odori.

ANACREONTE tradotto dal Greco in verſi Toſcani.

LETTERE intorno a queſtioni naturali.

COMENTO ſopra i primi cinque canti dell' Inferno di Dante.

SOMMARIO del libro della Concordia del Principato, *e della Religione*.

MISCELLANEA VARIA. Extant in hoc libro.

—— *Orazione di ringraziamento all' Accademia della Cruſca per eſſer ſtato aggregato in eſſa*. Vix in hac oratione euchariſtica agnoſces Magalotti elegantiam.

—— *Apologia contro Benedetto Gori Cenſore della Cruſca*, *che calunniò di ſediziosa*, *e piena di mal talento un' impreſa*, *che aſſunſe il Magalotti detto il SOLLEVATO*. *Era queſt' impreſa un cantuccio immerſo in vino roſſo contenuto in una tazza di Criſtallo*, *nella quale ſi vede ſalire il vino ſopra il livello col motto del Petrarca*: *OVE PER SE NON SALE*.

—— *Diſcorſo Academico*. Caſus Tantali narrat. Fabula hæc omnes veneres habet, quam idcirco narraſſe Academicis ſuis dixit Magalottus, ut iis originem exponeret aquæ, quam dicimus *cedrata*. Mollis & lu-

et lubricà eſt in eà parte, ubi deſcribit ſomnium, in quo Tantalo obiecta eſt Faigetes.

—— *Orazione ſul riaprimento della Cruſca detta l'anno 1663. nel dì 27. di Novembre, con cui ſi dimoſtra, eſſere tutte le anime da un medeſimo creatore Iddio con eguali forze, potenze, e virtù create, ed eſſere in tutte egualmente puro lume di divinità riposto; e donde avvenga, che alcune più, alcune meno riſplendano, e moſtrino di quella fiamma, che dalla loro origine ebbero.* Elegans, venuſta, litterata Oratio.

—— *Novella di Roſana d'Antenore e Giovanello.* Elegantiſſima fabella, in qua Magalottus Bocacci ſtylum non adumbravit, ſed ad vivum expreſſit.

LETTERA al Signor Roberto Boyle in materia di controverſia.

—— *al Principe Leopoldo ſopra il vacuo.*

—— *al Padre D. Angelo Maria Querini ſopra la dottrina dell'immortalità dell' anima.*

—— *al medeſimo per provare, che non v' è maggior titolo per Dio, che quello di Re de' ſecoli.*

—— *Al Marcheſe Gio: Vincenzo Salviati ſul combattere le paſſioni della ſuperbia, luſſuria, e avarizia.*

—— *a Ruberto Helſon ſopra la fede.*

—— *a Filippo Bonaroti ſull'etimologia di Tonchio e ſue adiacenze.*

—— *a Monſignor Froſini ſull'Eucareſtia.*

—— *al Barone Bettino Ricaſoli deſtinato Inviato ſtraordinario del G. Duca in Francia intorno ai coſtumi dei Franzeſi, e dei Spagnuoli.*

RISTRETTO intorno alla pace de Pirenei, cavato da memorie originali, e diviſo in libri ſei.

MEMORIA per uſo di diverſi iſtrumenti mandati a Papa Aleſ. VII.

RELAZIONE del Regno di Svezia.

OSSERVAZIONI ſopra varie Corti, e particolarmente ſulla Corte d'Inghilterra. Vol. II.

CARATTERI di diverſi illuſtri perſonaggi.

TRATTATO al G. Duca Coſimo per regolare il commercio del Vino.

REGISTRO di lettere ſcritte al G. Duca nel 1679. allorchè il Magalotti era Miniſtro in Vienna.

TRADUZIONI di varie opere di S. Euremont, che ſono; Riſleſſioni ſopra Annibale dopo la battaglia di Canne; Oſſervazioni ſopra Tacito e Saluſtio; l'idea della donna, che non è mai ſtata, e che non ci sarà mai; Quali ſcienze convengano più a un galantuomo; Diſſertazione ſopra Aleſſandro Magno; Su quella maſſima, che agli amici non ſi hà a mancar mai; Su quell'altra maſſima, che ſi ha a diſprezzar la fortuna, e non ſi curar della Corte; Dello ſtudio e della Converſazione; Della ſeconda guerra Punica; Dell'eloquenza; Dell' amicizia; Giudizio ſopra Seneca, Plutarco, e Petronio; Peralello di Aleſſandro, e di Ceſare; Degli Storici Franzeſi; de' Traduttori Franzeſi; Del guſto, e diſcernimento de' Franzeſi. L'intereſſe ſordido; La virtù troppo rigida; Riſleſſioni ſu i diverſi genj de' Romani ne' diverſi tempi della Repubblica; Delle prime guerre de' Romani; Il genio de Romani al tempo che Pirro fece loro la guerra; Contro l'opinione di Livio ſulla guerra immaginaria, che ci fa fare da Aleſſandro ai Romani; Della Tragedia; della Commedia; della Commedia Italiana, e Ingleſe; e dell'opere in Muſica.

TRADUZIONI VARIE, parte dal Latino, parte dallo Spagnuolo, parte dall'Ingleſe, e parte dal Franzeſe tutte di coſe ſpirituali; cioè di Tomas a Kempis dell'imitazione di Criſto; di Gio: Caſſiano Eremita dell'abito de' Monaci; il Caſtello interiore di S. Tereſa; Opuſcoli di D. Lorenzo Grazian; dell' Amor Serafico Roberto Boyle, Orazione dell'uſo de' Sacramenti della penitenza, e dell'Eucareſtia preſa dal libro intitolato Jurne' Chreſtien.

TRADUZIONI di Poeſie dall'Ingleſe; Lo Scalino Lampante; e la Battaglia delle Bermude di Filps, e d'una

parte

Digitized by Google

parte del Paradiſo perduto di Milton. Vertit et alia poetica ex aliis linguis Magalottus, quorum pleraque ſunt edita.

POESIE VARIE.

LETTERE FAMILIARI. Nimis longus eſſem, ſi vellem ſingulos recenſere, ad quos litteras dare ſolitus erat Magalottus. Quas ipſe ab amicis accepit omnes pene extant apud nobiliſſimum virum Coſmum Venturium; apud quem extat quoque maxima pars operum, quæ reliquit Magalottus, quæque nos ſupra retulimus. Hæc enim cum ceteris Magalottæ familiæ bonis ad eum hereditate pervenerunt.

JOANNI BAPTISTÆ MORGAN

ANGELUS FABRONIUS.

S. P. D.

Vita Marcelli Malpighii a te frequenter efflagitata, & a me ſæpe promiſſa tandem in lucem prodit, ornatiſſime Morgagni. Profecto nec te conſilii, nec me pœnitebit obſequii. Scripta enim eſt elegantiſſime, quod cum a me præſtari poſſe deſperarem, facile a Joſepho Marotto e Societate Jeſu impetravi. Perſuaſeram illi, ut converteret, tamquam interpres, quæ de eodem Malpighio Italice ſcripſit Euſtachius Manfredius; ſed mox mutata ſententia, cum ex hoc, tum ex aliis quoque fontibus judicio, arbitrioque ſuo quantum viſum eſt ei hauſit. Erunt fortaſſe qui me incoſtantiæ arguant, quod cum propoſitum ſit mihi vitas excellentium Italorum hujus noſtri ſæculi in his libris exponere, non dubitaverim tamen in iiſdem locum dare vitæ hominis, qui exeunte ſuperiori Sæculo naturæ debitum reddidit. Sed hi cum intelli-

telligent id me feciſſe Morgagnio auctore, me non ſolum excuſatione, ſed etiam laude dignum judicabunt. Vale.

Florentiæ V. Id. Septemb. MDCCLXVIII.

MARCELLUS MALPIGHIUS.

I. MARCELLUS MALPIGHIUS vir doctrinæ laude clariſſimus, honeſto genere natus eſt Crevalcorii in oppido ditionis Bononienſis, Martio ineunte, A. MDCXXVIII. Hic eximio præditus ingenio, mira etiam ſcientiarum flagrabat cupiditate. Neque enim ad diſciplinarum ſtudia, ut ferme ceteri ſolent adoleſcentes, incitabatur invitus, ſed, naturæ quodam inſtinctu, ita ad ea rapiebatur, ut et nobilis inter æquales haberetur, et nemo eſſet, qui cum eo, aut diligentia, aut aſſiduitate conferri poſſet. Cujus quidem rei illud certum eſt teſtimonium, quod cum Parentes admodum adoleſcenti mature deceſſiſſent, una hac cogitatione orbitatis ſuæ abſtergebat moleſtiam, quod videret, ſe illorum voluntati minime obnoxium, liberius, quod vehemen-

ter optabat, ſtudiis vacare poſſe. Itaque cum Bononiæ domicilium ſibi conſtituiſſet, ibi humanioribus literis eruditus eſt, tum Philoſophiam aggreſſus, Franciſco Natalio, doctiſſimo illa tempeſtate homine, uſus eſt præceptore, eoſque brevi progreſſus habuit, ut non modo privatis, verum etiam publicis ſæpe diſceptationibus, cum ſui ingenii ſpecimen edere, tum aliorum etiam doctrinæ periculum facere minime dubitaret. Hoc ſtudiorum curriculo magna cum ingenij laude confecto, cum ad omnia doctrinarum genera ingenio mirifice accomodato ſe pollere intelligeret; cumque videret, ſi pluribus intenderetur animus, timendum eſſe, ne multis delibatis nulla ſibi facultas penitus cognoſci poſſet, conſilio uſus hominum doctiſſimorum, unam Artem Medicam ſibi addiſcendam propoſuit, ad quam, ceteris omnibus abdictis, animum adjiceret intentius.

II. Florebat id temporis Bononia cum ceteris liberalibus diſciplinis, tum Medicina præſertim; multique erant, qui hanc artem ſic excolendam ſuſceperant, ut, quæ ad eam æta-

ætatem ſitu, ac ſquallore obſita in tenebris delituiſſet, eorum opera mirifice illuſtrari, maximaque habere cœperit incrementa. Horum præcipui Barptolemæus Maſſarius, qui tantopere in Anatomicis valuit, atque Andreas Marianus à quo veluti principe novæ morborum curandorum methodo aditus in Medicinas apertus eſt. Maſſarius ſane, cum ab iis, qui humani corporis conformationem attentius inveſtigarent, nova in dies ſingulos deprehendi videret, unde tantum medicæ Philoſophiæ lumen accederet; atque illud, quod antea omnino ignorabatur, inventum eſſe, ſanguinem, nempe, motu intra venas perpetuo circumagi, qua una ex re, tanquam ex uberrimo fonte tam multæ deinde utilitates hauriri poterant, eruditorum hominum conventum domi ſuæ conſtituerat, in quem qui cooptati eſſent, tum cadaveribus incidendis, tum eorum partibus ſingillatim conſiderandis ſeſe exercerent. Marianus vero, quo erat ingenio vir, cum priſtinam medendi rationem ab Arabibus, barbariſque nationibus acceptam, quaſique per manus traditam haudquaquam,

quam hujuſmodi eſſe intelligeret, ut ulterius expoliri, atque adeo formari, perficique nequiret, ea medicandi ratione utebatur, qua nec veterem omnino repudiaret doctrinam, neque novam amaret adeo, ut hanc unam ſibi penitus adſciviſſe videretur.

III. Horum itaque in diſciplinam cum ſe tradidiſſet Malpighius, mirum quantas ex utriuſque præceptis ceperit utilitates. Nam & aſſiduis humanorum corporum diſſectionibus (erat enim is ex cœtu illo à Maſſario, ut dictum eſt domi ſuæ conſtituto) ac medendorum morborum uſu nunquam intermiſſo (comes enim aderat Mariano ſemper, dum ille ægrotos viſeret) eam in utraque diſciplina facultatem eſt aſſecutus, ut jam tum a præceptoribus præſtantiſſimus haberetur. Neque verò huic parvo ſtetit ea cum hujuſmodi viris conſuetudo. Quæ enim ſunt multorum hominum ingenia, ut ea ſolum honeſta, utilia, ac laude digna ducant, quæ a veteribus ſunt accepta, idque in diſciplinis præcipue, in quibus nihil tutum eſſe arbitrantur, niſi quod ab illis profectum eſt: cum Malpighii inſtitutio non

parum

parum ab illa abhorreret, qua omnes ad ea tempora uſi eſsent, obtrectatores huic non defuerunt, qui non modo novam hanc inſtituendi rationem apud eum criminarentur, ſed ipſum præterea probris identidem, ac contumeliis appeterent, quippe qui tutiori, tritaque via audacius divertens novam, intentatamque ſemitam ingrederetur, ex qua aut nuſquam, aut niſi ſummo cum periculo evadere poſſet. Quorum tamen injuriis tantùm abfuit, ut Malpighius a propoſito dimoveretur, ut quæ alium ſtatim a ſuſcepto conſilio deterruiſſent, eadem potius illi fuerint incitamento, ut in id quod ſibi propoſitum eſſet acrius incumberet. Itaque eo contendit ſtudio, ut paulo poſt Philoſophiæ, ac Medicinæ laurea fuerit donatus. Neque eo tamen ſecius eadem præceptoribus præſtabat officia: nam & Maſſarii domum frequentabat aſſidue; eademque ut antea Mariani conſuetudine utebatur; eoſque, quod certum eſt grati animi indicium, adeo ſemper reveritus eſt, ut non modo in ipſos dum vixerunt ſumma fuerit obſervantia, verum etiam poſt mortem eorum in ſe beneficia memoria coluerit ſempiterna.

IV.

IV. Quadriennio circiter, ex quo magiſtrali laurea fuerat donatus a Bononienſi Senatu, cui jamdudum non vulgaris Malpighii eruditio perſpecta eſſet publicus medicæ Philoſophiæ declaratur Magiſter; quo tamen beneficio diu ille uti non potuit: ſiquidem, eo munere vix ſuſcepto, a Ferdinando Mediceo Magno Etruſcorum Duce Piſas litteris honorificentiſſimis invitatur, ut in illa Academia Theoricam Medicinam traderet: cujus voluntati cum nequaquam ille obtemperare nequiret, Piſas ſe contulit. Hac in Civitate cum Joannem Alphonſum Borellum ſummo ingenio, maximaque doctrina virum nactus eſſet, in ejus amicitiam venit, qua ſic eſt uſus, ut eruditiſſimi hominis non minus præceptis proficeret, quam conſuetudine frueretur. Neque vero minores ex Malpighii familiaritate fructus percipiebat Borellus, quippe qui longe illum Anatomiæ cognitione ſibi præſtare intelligeret. Itaque tum publicis tum privatis humanorum corporum diſſectionibus, quibus Malpighius præeſſet, aſſiduus intererat, eundemque de ejuſmodi rebus diſſerentem audiebat libentiſſime: quo factum eſt, ut ex iis, quæ

Digitized by Google

quæ Malpighius in humanis corporibus nova animadvertit nonnulla, eo præſente, fuerint comperta. Spiralis ſane fibrarum humani cordis figura coram Borello a Malpighio primum inventa eſt quanquam nonnulli hanc ei laudem eripere contentur, quod, eo potius præſente, quam auctore, id deprehenſum perhibeant. Interea, aſſiduis experimentis capiendis, cum multa ſibi jam comperta eſſe videret, quæ ſi palam fierent Medica Ars mirifice illuſtraretur, ea de re dialogos vernaculo ſermone ſcripſit nonnullos, eoſque legendos dedit Borello, cui cum propter doctrinam probarentur ſummopere, Malpighium etiam atque etiam hortabatur, ut eos in lucem proferret, qui tamen cum nequaquam adduci poſſet, ut id ſtatim faceret, incenſa, neſcio quo caſu, ejus domo, magno literariæ Reip. damno, omnes interierunt. Piſis tres annos ſumma cum doctrinæ laude commoratus eſt, deinde cum propter cœli illius gravitatem, ſe ibi valetudine haud ita bona, quemadmodum conſueverat antea, videret uti, Bononiam remigrare conſtituit; neque vel maximis propoſitis præmiis,

miis, Piſis ſe detineri amplius eſt paſſus. Itaque magno deſiderio ſui omnibus relicto, Bononiam rediit; quamque intermiſerat diſciplinam iterum publice tradere aggreſſus eſt.

V. Bononiæ in Anatomiæ ſtudiis ſocios habuit Silveſtrum Bonfiliolium, & Carolum Fracaſſatium, ipſos quoque hac arte præſtantiſſimos: quorum cum altero, dum anno MDCLX. pulmonum texturam diligentius inveſtigaret, factum eſt, ut eos ſolis membranis, iiſque tenuiſſimis, quæ ſimul compactæ veſiculas, parvaſque cavitates referrent, prior ipſe conſtare repererit. Quo nimirum invento cum dubius, incertuſque rei paulliſper Fracaſſatius hæſiſſet, poſt non multo ipſe etiam re melius explorata in eandem venit ſententiam. Itaque Malpighius hac de re ſtatim epiſtolam ad Borellum miſit, quam typis edi voluit. Hanc Borelli ejuſdem rogatu, altera ſubinde eſt conſecuta, in qua, ex hujus ſententia, de eorundem pulmonum textura, atque uſu clarius diſſerebat. Hæ ſummo eruditorum omnium plauſu exceptæ maximam Malpighio laudem peperunt. Neque tamen tunc quoque quam-

quamplurimi hic defuerunt obtrectatores, quorum alii hanc improbarent ſententiam, alii vero præclariſſimi hujuſce inventi gloriam Malpighio detractam vellent; ſcriptiſque contenderent, id multo ante ab aliis fuiſſe repertum. Horum omnium meminit ille in ſuis operibus poſt mortem editis, iiſque egregie reſpondet, ac Borello præcipue, qui paullo poſt, mutata ſententia, in libro illo, quem de Motu Animalium ſcripſit, huic opinioni vehementer refragatus eſt. Poſt hæc, cum graviter Piſis contagione quadam peſtifera univerſa civitas laboraret, data occaſione, eidem Borello literas illas eruditiſſimas miſit, in quibus, cum de morbo ipſo, tum de Anatomiæ, ac Medicinæ uſu pulcherrime diſſerit.

VI. Circa hæc tempora demoritur Meſſanæ Petrus Caſtellus, qui in illa Academia Medicam Philoſophiam profitebatur; atque illi a Meſſanenſi Senatu Malpighius abſens ſufficitur, annuo aureorum M. ſtipendio conſtituto: qui paulo poſt de re tota certior factus per literas; ſimulque perhonorifice a Meſſanenſibus invitatus illuc proficiſcitur. Dumque

Digitized by Google

iter Neapoli faceret, cum Thoma Cornelio, ac Lionardo Capua, doctiſſimis ea ætate philoſophis amicitiam iniit, quam vel abſens ſemper deinde coluit diligentiſſime. Meſſanam mente Octobri pervenit anno MDCLXII. ibique humaniſſime exceptus eſt a Jacobo Rufo Francavillæ Vicecomite, qui Malpighium Piſis jampridem congnoverat, viro cum in philoſophicis admodum verſato, tum eruditorum omnium patrono in primis ſtudioſiſſimo. Poſtridie Idus Novembris ejuſdem anni Medicinam Meſſanæ publice tradidit; quam ibidem paullo poſt, non docere tantum, ſed & facere aggreſſus eſt. Neque vero dum publicis hujuſce muneris occupationibus diſtinebatur Malpighius, inſtitutæ ſibi ſtudiorum rationis oblitus eſt. Quinimo ibi univerſorum corporum cognitioni, quæ præcipua pars eſt Naturalis Phiſophiæ adeo ſedulam navavit operam, ut nova quamplurima dum præſertim apud Rufum ruſticaretur ab eo in iis fuerint comperta, quæ cum rerum naturalium hiſtoriæ, tum Malpighio ipſi magno ſunt ornamento. Inter hæc recenſendæ in primis aëris Tracheæ, ſic enim eas vocitant Anatomici, quas

quas primum in caſtanei fruſto, deinde aliis etiam in plantis deprehendit, quo de invento extant ejus ad Borellum literæ. Idem etiam in piſcibus multa de eorum Omento, ac de Pinguitudinis Vaſis animadvertit, quæ omnia una cum ejus epiſtolis, in quibus de Cerebro, ac Lingua diſerte loquitur, nomine tamen ejus non inſcripto, in lucem prodiere. In Tynno autem, & in Gladio, dum nervi optici ſtructuram attentius inveſtigaret, eam geminis membranis compactam eſſe comperit, quibus mirum in modum complicatis in id genus piſcibus hæc viſus organa componerentur. Quod ipſum poſt non multo Fracaſſatius etiam, qui ut Anatomiam explicaret, Piſas paullo ante fuerat vocatus, cum aliis etiam in piſcibus animadvertiſſet, Magno Hetruriæ Duci ſtatim oſtendit, ſimulque Malpighii literas hac de re Borello datas eidem legendas tradidit: quod Malpighio Principis illius literarum amantiſſimi benevolentiam mirum in modum conciliavit. Et cum Finkius Anglus, vir ceteroquin clariſſimus, qui tunc una cum Fracaſſatio Anatomiam Piſis profitebatur, huic invento

vehementiſſime adverſaretur: Malpighii a Borello eſt ſuſcepta defenſio, quæ adhuc in diſertiſſimi viri libris extat ſumma doctrina conſcripta. Multa deinde a Malpighio de Torpedine, & Columbo; multa etiam de Gladii oculis, ac Tynni comperta fuere, quæ tamen, eo vivente, nunquam, quod ſciam, palam ſunt facta.

VII. Poſt hæc, rerum naturalium ſtudio paulliſper intermiſſo, non autem omnino ſepoſito, opus multo laborioſiſſimum aggreditur, cujus tamen cum partem potiſſimam confeciſſet, Borelli, ac Fracaſſatii auctoritate deterritus totum non abſolvit. Hoc opere Malpighius univerſam Anatomiæ diſciplinam vernaculo ſermone complecti volebat. Itaque, cum omnia, quæ de hac arte, tum a veteribus, tum a recentioribus dicta eſſent aſſidua Anatomicorum ſcriptorum pertractatione penitus cognoſceret: initium a Corde fecerat, ut ad alias deinde partes, quæ ab eo pendent progrederetur; ac ſingularum ſingillatim naturam, ex Italorum primum, qui plurimum hoc in genere valuerunt ſententiis; tum deinceps ex

exte-

exterorum omnium doctrina quam accuratiſſime exequeretur. Sed cum huſuſce operis pene jam abſoluti partem, quam, De Præcordiis, inſcripſerat, Borello, ac Fracaſſatio legendam miſiſſet: quanqum omnia his ſummopere probarentur, operiſque maxima agnoſceretur utilitas: nihilo tamen minus eum, pro amicitia, majorem in modum hortantur ab incepto deſiſtat; nullaque de cauſa, ſe a rerum naturalium inveſtigatione, quam tanto ſtudio ſuſcepiſſet, dimoveri patiatur. Neque enim quamcumque ex inſtituto opere gloriam percepturus eſſet, aut illam præſtare poſſe, quam nuperrime novis in natura inventis eſſet aſſecutus, aut illam adæquare, quam, ſi quid ulterius in eadem deprehenderet, ſibi eſſet comparaturus. Quorum virorum voluntati, cum omnino morem ſibi gerendum eſſe arbitraretur, cogitatione illa penitus animo abjecta, ſtatim ad priſtina ſtudia rediit. Igitur, quod jamdudum conſtituerat, Linguam primum tentandam ſuſcepit; multisque in ea obſervando perſpectis, de his Fracaſſatio, ac Laurentio Bellinio communicat; qui, occaſione ar-

repta, ipſi quoque, inſtitutis in illa obſervationibus, iiſque Typis palam factis, Anatomiæ hiſtoriam non mediocriter locupletarunt. Paullo poſt Cerebri ſtructuram, ac nervei ſucci, quem vocant, ſeparationem cognovit; animadvertitque, papillas, ex quibus tactus organum conſtituitur, per corporis cutem eſſe uſquequaque diſperſas. Hinc cutis ejuſdem texturam, ſudorisque, ac perſpirationis vaſa, corporumq; illorum originem quæ ex cuti enaſcuntur perſpexit. De quibus omnibus tunc quidem epiſtolam Rufo dedit: verum hæc eadem paulo poſt copioſius ſcriptis eſt proſecutus.

VIII. Quibus rebus dum intentius dat operam, ecce tibi inter eum, ac Liparum medicum gravis exorta contentio, quæ haud ita parum ab hujuſmodi ſtudiis hominem revocat. Mos eſt Meſſanæ, Magiſtratibus quotannis in Senatu delectis, Urbis etiam Archiatrum creare: qui ſane honos illi plerumque ex medicis haberi aſſolet, qui ceteris ætate concedat: cui tamen, habitis ante diſputationibus, doctrinæ, atque ingenii ſpecimen publice edendum eſt. Hujus igitur dignitatis Michael *Li-*

panis

parus quidam vehementer cupidus, cum jam dies habendi Senatus adeſſet, Theſes aliquot ſibi propugnandas delegit, in quibus, cum recentiorum multæ rejiciebantur ſententiæ, tum illa de ſanguinis circumactione potiſſimum. Tum Malpighium, & Catalanum, ipſum quoque in recentiorum ſtudiis multum verſatum, invitat, ut quæ ſibi propoſita eſſent publice oppugnent. Quorum utroque multis de cauſſis abnuente; Franciſcus Giangrandius, ipſe quoque florenti ætate medicus, qui Lipari gloriam vehementer æmularetur, Malpighium rogat, ut ſibi recentiorum ſententias defenſuro moderator aſſideat: dignum eſſe ejus auxilio quod ipſe aggrederetur certamen: quippe quod in iis, quæ nuper ab eo erant inventa præcipue propugnandis verſandum eſſet. Hujus conſilium cum valde probaſſet Malpighius, ſimulque multa hominem edocuiſſet, quorum præſidio ex eo, quod ultro adiret periculo, non ſine laude, evadere poſſet: huic tamen publice adeſſe noluit, Catalani nimirum rogatu, qui, medicis nonnullis ex recentiorum rum doctrina Theſibus adjectis, Giangrandio

adfuit, quaeque ab eodem, ſe auctore, propugnata eſſent, ad amicos ſuos per Siciliam, ac Calabriam univerſam miſit. Quo facto cum Liparus vehementer excanduiſſet; librum ſtatim in Malpighium, & Catalanum latino ſermone vulgavit, qui, Galeniſtarum Triumphus, erat inſcriptus, in quo acriori, quam par erat, ſtylo, non magis in recentiores ſententias, quam in Catalanum, ac Malpighium potiſſimum invehebatur. Huic, cum, pro ingenii ſui lenitate, valde enim ab omni contentionum genere ſemper abhorruit, reſpondere nollet Malpighius: tamen, ne ſua patientia hominis audacia, atque adeo faſtus augeretur, amicorum omnium, ac præcipue Alberti Tuccari perſuaſu, ipſe ſolus; quoniam id Catalanus ſimul facere recuſaſſet, recentiorum defenſionem ſuſcepit; librumque gravem, ac doctum hac de re ſcripſit, nomine Placidi de Papadopolis ſui, & Catalani olim diſcipuli, ſuppoſito. Hoc ſane opus, quod plurimum, tunc quidem, apud eruditos celebratum eſt, nunquam tamen, niſi poſt Malpighii mortem, publici juris eſt factum, quanquam per literas a Borello, ac Fra-

Fracaſſatio, aliiſque quamplurimis Malpighius, dum viveret, id etiam, atque etiam ut faceret, rogaretur aſſidue.

IX. Hiſce igitur moleſtiis magna cum laude perfunctus, cum jam Magiſterii ſui quadriennium propediem expleturus eſſet, Bononiam redire conſtituit; neque vel maximis a Meſſanenſi Senatu adhibitis precibus, prohiberi potuit, quominus, eo exacto curriculo, ſtatim Bononiam decederet; illud tamen pollicitus, ſe, cum primum per domeſtica negotia licuiſſet, Meſſanam rediturum. Itaque, Majo ineunte, anno. MDCLXVI. Bononiam rediit; ibique paullo poſt, domeſticis rebus compoſitis, librum emiſit, in quo de Viſcerum Structura, de Cordis Polypo, ac de Cerebri Cortice agitur. Hoc ex opere cum multæ inter Anatomicos controverſiæ exſtitiſſent: idem librum alium iiſdem de rebus conſcripſit, quo, his omnibus, quæ ſibi objicerentur, facili negotio rejectis, adeo copioſe novis argumentis ſuam tuetur ſententiam, ut locus dubitationi nullus relictus eſſe videatur. Inter hæc, aliquot tranſactis menſibus, ecce ad eum denuo a Meſſanenſi Senatu literæ afferuntur,

quibus

Digitized by Google

quibus Meſſanam, priſtino iterum delato munere, revocatur. Neque recuſabat Malpighius, verum, cum jam ad iter ſe pararet hujuſmodi, a Bononienſi Senatu, cui tanto viro tamdiu carere graviſſimum videbatur, aucto ſtipendio, precibuſque inſuper adhibitis, ut Medicinam in Urbe faceret detentus eſt. Quare quod ſibi Meſſanenſes beneficium obtulerant, non ſine magno illorum dolore, repudiare coactus, Bononiæ manſit. Ibi quidquid otii ex aſſiduis occupationibus ſibi ſuppeteret, id Anatomiæ ſtudiis totum tribuit: quo factum eſt, ut tam multis inventis hanc artem denuo locupletarit, ut neſciam, an ab alio unquam eadem æque fuerit illuſtrata. Tunc enim, & Vaſa in prægnantibus animalibus per uteri tubas ſerpentia tubarumque ipſarum Meatus, atque in iis ovorum Veſiculas primus comperit. De quibus inventis leguntur ejus ad Sponium litteræ. Multa itidem de Glandulis conglobatis; multa de Embryonibus, multa de Oſſium, Dentiumque textura eidem innotuere. Quæ omnia, partim litteris Stenoni datis eſt perſecutus, partim in priori libro eorum, quibus uni-

univerſam Plantarum Anatomiam diligentiſſime expediit, partim etiam aliis in ejus operibus ſatis dilucide ſunt expoſita.

X. Propter hæc cum jam Malpighii nomen per univerſam Europam longe, lateque vulgatum eſſet, ab Henrico Ondelburgio, qui Londini Regiæ illius Societatis erat a ſecretis, rogatur per litteras, ut quidquid novi deinceps ſibi in iis, quæ ad rerum naturalium hiſtoriam pertinent cognoſceretur Academiæ illi ſtatim ſignificet: nihil enim a clariſsmis Societatis ejusdem viris vehementius optari, quam ut, primo quoque tempore, collectis omnibus, quæ nuper in natura eſſent inventa, rerum naturalium hiſtoria conficeretur. Quo cognito, Malpighius, ut pro tanto in ſe officio parem gratiam referre poſſet, in Bombycibus primum obſervationes inſtituit; & quidquid ad eorum Anatomiam pertinent tanta contentione inveſtigavit, ut, oculorum acie prorſus debilitata, febri etiam laborarit aliquandiu. Ex hac tamen cum brevi convaluiſſet, opus, quod erat aggreſſus incredibili felicitate confecit; atque iis omnibus, quæ in id genus ani-

animantibus ſibi explorata eſſent, in ordinem digeſtis, ſingularumque rerum figuris adjectis, quas idem eleganter per ſe delineaverat; opus Londinum ad Regiam Societatem miſit. Hic ſane labor eam apud doctiſſimos viros illos admirationem eſt nactus, tantamque Malpighio laudem comparavit, ut, opere ſtatim, Academiæ ſumptibus, typis edito, Malpighium ipſum præterea omnes in Regiam illam Societatem legi voluerint: ejuſque rei eidem per Joannem Baptiſtam Gorniam Bononienſem diploma miſſum verbis ampliſſimis, IV. Non; Mart. anno MDCLXIX. Verum Malpighius quo certior de iis eſſet, quæ jampridem in natura detexerat, conſequentibus deinde annis, in Bombycibus iterum omnia diligentius inſpexit, iiſdemque denuo, aliiſque novis deprehenſis, epiſtolam de his ad Bonfiliolium ſcripſit. Hanc tunc quidem per ſumma capita publicarum Ephemeridum Auctor retulit: verum eadem, Malpighio demortuo, una cum ejuſdem reſponſionibus ad Swamerdami epiſtolam, quam hic contra ejuſmodi Malpighiana inventa emiſerat, fuſius vulgata legitur. Per idem

tempus

tempus Plantarum Anatomia, cujus etiam ſuperius meminimus, opus omnium celeberrimum a Malpighio ſummo ſtudio, atque incredibili diligentia conditum, ejuſdem Regiæ Societatis ſumptibus in lucem prodiit. Quæ vero ab eodem, tum de Seminum Vegetatione conſcripta ſunt, tum aliis etiam de rebus, quæ ad Plantarum Anatomiam, ejuſque defenſionem ſpectant, ea nunquam, ſe vivente, publicari typis eſt paſſus.

XI. Anno MDCLXII. de Ovi gallinacei formatione, ab ipſa prorſus origine exorſus, gradatim hiſtoriam ad finem perduxit: quod tamen non ſine magna difficultate, longoque labore aſſecutus eſt. Hæc hiſtoria a Regia Londinenſi Societate Magno plauſu tunc primum excepta, magni deinde ſemper eſt habita, ex quo vero novis ab eodem inventis locupletata eſt, inter præclariora Malpighii opera recenſetur. His accedunt, tum ea, quæ ipſi in Aquilæ diſſectione eodem anno coram Bonfiliolio innotuere; tum quæ in Vermibus in Noctilucis, in Papilionibus, Inſectiſque aliis quamplurimis animadvertit: quæ tamen omnia

nun-

nunquam ſunt, eo vivente, vulgata. Ea vero, quæ de Uteri conſtructione, de Feminarum fœcunditate, ac de Vaſe illo per uteri tubas ſerpente, de quo jam ſupra ſumus locuti, idem jampridem invenerat, una ad Jacobum Sponium epiſtola perſecutus anno MDCLXXXI. in lucem protulit, eademque epiſtola paulo poſt ceteris ejus operibus addita in Bibliothecam Anatomicam relata eſt. Idem paullo poſt in Ranis etiam obſervationes inſtituit; atque in iis, propter venarum pelluciditatem, tam clare Sanguinis motum, circuitionemque cognovit; ut de hac ulterius dubitare jam nemo poſſit. Quo etiam tempore fuſius idem de Pinnarum textura, quod antea tantummodo attigerat, de Pilis, de Unguibus, aliiſque generatim corpuſculis ex cuti prodeuntibus ſcripſit; atque hæc etiam, eo demortuo, in publicum prodiere. Poſt hæc rogatu Ricardi Vallerii, qui in Regia Lodinenſi Societate Henrico Ondelburgio ſucceſſerat, epiſtolam ad Regiam illam Societatem miſit, quam de Glandulis conglobatis jampridem conſcripſerat. Contendit in ea Malpighius, harum in numerum recenſendum eſſe Pericardium,

dium , Peritonæum , Pleuram , Teſtiumque Membranam , quam Vaginalem dicunt ; quibus etiam Inteſtina ipſa , Ventriculum , & Cotyledones addit . Hoc opuſculum , quod tamen propter bella , quibus tunc pene tota exarſit Anglia , non niſi poſt multum temporis ad Regiam Societatem perlatum eſt : cum ad eam pervenit , & magna omnium adprobatione exceptum , & publico Academiæ ſumptu typis traditum magnam Malpighio eruditorum omnium admirationem conciliavit. Atque hic illud animadvertendum, epiſtolam hanc, quæ anno MDCLXXXVIII. eſt emiſſa, poſtremum ex Malpighii operibus fuiſſe, quod, eo vivente, fuit publicatum. Nam, et ea , quæ contra Nuchium eadem de re ab eodem confecta leguntur , aliaque omnia , quæ idem , præter hæc , quæ dicta ſunt , elucubravit deinde , nonniſi poſt ejus mortem in lucem prodiere .

XII. Magnus jam rerum a Malpighio inventarum numerus erat , major ſcriptorum copia ; eaque non de humani corporis Anatomia tantum , ſed de naturali Philoſophia univerſa . Horum alia publici juris facta , jam ty-

pis

pis erant impreſſa; alia ab amicis privatim le-ctitabantur; alia denique Malpighius ipſe aſſervabat apud ſe. His accedebant, tum quæ, ut aliquod ex ſuis inventis illuſtraret ſeparatim ab operibus ipſis idem vulgaverat; tum quæ ad aliorum multorum confirmationem collegerat: ex quo fiebat, ut quæ ab eo de re una ſcripta eſſent, non uno tantum volumine, ſed plurimis diſtinctis, atque inter ſe diviſis opuſculis continerentur. Hæc Malpighius conſiderans; cum præterea ex una parte videret, tam multos inveniri, qui non modo ſummo ſtudio ſuis inventis favere, verum etiam novis experimentis, atque obſervationibus eadem confirmare conarentur; ex alia vero non deeſſe etiam quamplurimos, quorum alii novis emiſſis operibus opinionibus ſuis acerrime refragari; alii etiam ipſorum inventorum laudem ſibi eripere conarentur: ut iis incommodis ſtatim occurreret, quæ hac ex re in ſe poterant proficiſci, nihil ſatius duxit, quam ut ſui hiſtoriam conſcriberet, in qua non modo de ſuæ vitæ ratione, ſed de iis omnibus, quæ ſibi in natura comperta eſſent; de aliorum

aliorum circa ea opinionibus, ac de ſua rerum ſingularum defenſione, quam accuratius fieri poſſet, differeret. Jamque hujus operis, quod ad Regiam Londinenſem Societatem ſcribere Malpighio placuit, præcipuam partem confecerat, cum quædam prodiit epiſtola, quæ, *De recentiorum Medicorum ſtudiis*, inſcribebatur, quæque, quamvis tunc primum Gottingæ ab incerto auctore edita crederetur, paullo tamen poſt, eam ab Hieronymo Sbaralea viro erudito, atque in Bononienſi Academia Medicæ Philoſophiæ Magiſtro eximio profectam vulgo putatum eſt. Hac epiſtola cum præcipue ſe peti intelligeret Malpighius, quod in ea, & Brutorum, & Plantarum, & ſingularum humani corporis partium Anatomia, tanquam inanis prorſus inveſtigatio, quæque nullius eſſet medicis utilitatis rejiceretur, huic, priori opere paullíſper ſepoſito, vernaculo ſermone fuſius reſpondere voluit. Quæ ſane defenſio, una cum illa *, quam idem antea contra Galeniſtarum Triumphum Meſſanæ conſcripſerat, aliiſque permultis, cum ſuis, tum aliorum opuſculis ſuæ vitæ hiſtoriæ, quam paullo poſt confecit

 addita,

addita, eo demortuo, memoriæ mandata eſt. Atque ex iis omnibus, quod prætereundum non eſt, operum poſthumorum collectio, de qua ſæpius mentionem fecimus, eſt conflata; ex quibus præcipue ea, quæ hactenus de Malpighio diximus, hauſta ſunt.

XIII. Neque vero, quod tantis, tamque variis ingenii ſui laboribus diſtinebatur Malpighius, idcirco medicinam de more facere intermiſit unquam. Etiamſi enim rus ſeceſſerat, ibique, quo liberius naturalis Philoſophiæ inveſtigationi vacare poſſet, commoraretur ut plurimum, tamen & aſſidui ad eum, conſulendi gratia, hominum concurſus fiebant; idemque a principibus viris, ob eandem cauſſam, accerſebatur ſæpiſſime. Hanc illæ vitæ rationem tenuit, donec Antonius Pignattellus, qui olim Bononienſem legationem ſumma cum prudentiæ laude procurarat, ad Maximum Pontificatum evectus eſt, nomine Innocentii XII. aſſumpto. Ab eo enim, qui jampridem Malpighii virtutem, doctrinamque Bononiæ ſuſpexerat, eodemque uſus erat familiariſſime, Romam evocatus, intimuſque Pontificis Cubicularius,

larius, ac Medicus declaratus, inter domeſticos Pontificiæ familiæ Præſules relatus eſt. Qua ille novi muneris procuratione adeo ab inſtituta ſibi vivendi conſuetudine receſſit, ut nihil otii amplius ad priſtina ſtudia recolenda ſibi reliquum fuerit, niſi quod Arcadicis conventibus recens inſtitutis identidem intererat, maximamque ex eruditorum virorum exercitationibus capiebat voluptatem. Quo factum eſt, ut paſtoritio Theronis Philacii nomine adſcito, in clariſſimum cœtum illum legi voluerit. Annus erat a V. P. MDCXCIV. cum Malpighius multiplici curarum mole preſſus, & macie ſenſim deformari, & cum reſpirationis difficultate, tum multis aliis affectæ valetudinis incommodis laborare incepit: illudque etiam acceſſit, ut IX. Kal. Quintil. repentino apoplexis ictu correptus dexteram corporis partem prorſus amiſerit. Hoc morbo propter aſſiduam medicorum diligentiam poſt menſem relevatus eſt, haud tamen ita, ut cum priſtino virium uſu, tum memoriæ, qua præcipue præſtabat, facultate ſe pene defectum, deſtitutumque non intelligeret. Itaque

cum

cum jam vitæ exitum inſtare ſentiret, nihil antiquius habuit, quam ut omnia, quæ memoriæ mandari cupiebat ad Bonfiliolium cum litteris mitteret, illud etiam atque etiam rogans, ut eorum editioni aut præeſſet ipſe, aut, ſi is minus poſſet, alicui ſaltem ex diſcipulis ſuis id negotij daret. Poſt hæc, domeſticis rebus compoſitis, ſacriſque omnibus, quæ ad religionem pertinent, rite ſanctèque expiatus, dum mortem mirifica animi tranquillitate præſtolaretur, repetitis iterum prioris morbi ictibus tactus, in Ædibus Quirinalibus, magno cum bonorum omnium, tum præcipue INNOCENTII XII. Pont. Max. luctu deſideratus eſt. Deceſſit III. Kal. Octob. MDCXCIV. annos natus LXVII.

XIV. Defuncti corpus tum inſpiciendi, tum exenterandi ergo diſſectum mortis cauſſam liquido oſtendit. Siquidem in lævo cerebri ventriculo binæ transfuſi ſanguinis unciæ, in dextero autem magna lenti humoris copia flavo colore, præter conſuetudinem, inventa eſt. Quod Joannes Maria Lanciſius, egregius ea tempeſtate Medicus, qui aperiendo interfuit, ſe vidiſſe

diſſe in ſuis libris teſtatur. Cadaver balſamo oblitum, quemadmodum ipſe moriens juſſerat, Bononiam aſportatum eſt; ubi poſt exequias mira populi frequentia celebratas in S. Gregorii apud Patres Miniſtros infirmorum, quos vocant, ſepulcrum habuit IV. Id. Febr. MDCXCVI. Bonfiliolius autem, operibus poſthumis acceptis, quo facilius per univerſam Europam propagari poſſent, partem illam operum, quam Malpighius vernaculo ſermone conſcripſerat in Latinum ſermonem convertit, uno duntaxat contra Galeniſtarum triumphum opuſculo excepto, qui liber a Ludovico Donellio Malpighii olim diſcipulo Latine eſt redditus; tum omnia ad Regiam Londinenſem Societatem miſit; ſtatimque a Ricardo Vallerio litteras reſponſo accepit, quæ magnum Malpighii in Anglia nomen, maximumque ab omnibus ob egregii viri mortem perceptum dolorem teſtabantur. Deinde pro tanto officio non ſolum gratiæ actæ Bonfiliolio, verum etiam in eundem cœtum cooptatus ipſe, ac Marcelli Malpighii loco deinceps a clariſſimis viris habitus, illud Virgilii in litteris ad eum datis appoſite

 uſur-

uſurpantibus : *Uno avulſo, non deficit alter ; Tu Marcellus eris*. Edita ſunt poſthuma Malpighii opera Londini, Regiæ ipſius Academiæ ſumptu, anno MDCXCVII. additaque iis alias etiam vulgata epiſtola, quam de Glandulis conglobatis idem ſcripſerat. Fuit Marcellus vir mitiſſimo ingenio, mira in rebus gerendis prudentia, laboris vero patiens adeo, ut vel hoc uno illuſtraretur. In omni ætate valde quidem gloriam appetiit, veruntamen ea ſemper animi moderatione, ut nec ſecundis rebus inſoleſceret unquam, nec frangeretur adverſis. Statura fuit modica, pleno gravitatis aſpectu, colore inter rubrum, & aquilum, curvis humeris. Valetudine uſus eſt imbecilla: nam florenti ætate, & renum dolore vexatus, & ſtomacho graviter laboravit; ſenex vero cordis palpitationibus, capitiſque vertiginibus fuit obnoxius. Uxorem habuit Franciſcam Maſſariam magiſtri ſui ſororem, magna virtute feminam, cum qua conjunctiſſime vixit. Hæc Malpighio ipſi Romæ paullo ante eſt præmortua, cum ex ea nullos ſuſcepiſſet liberos; itaque heredem inſtituit fratrem natu mino-

minorem, alioſque cum fratris ejuſdem, tum ſororum filios.

XV. Malpighii effigies nulla inter multas, quæ, dum viveret, ex ejus vultu ſunt expreſſæ, illa videtur ſimilior, quæ ei, honoris ergo, Bononiæ poſt mortem eſt cuſa. Hujus in parte altera expreſſa cernitur pyramis, cui innititur Philoſophia dextera manu microſcopium, ſiniſtra plantarum manipulum tenens, tum libri nonnulli, variæque ad latera inſectorum ſpecies. In fronte hæc leguntur inſculpta: STAT SOLIDO: circum autem: TUTISSIMO LUMINE EXHIBITO. Multos Malpighius cum Anatomiæ, tum Medicinæ auditores habuit, qui doctrinæ laude mirum in modum ſunt illuſtrati. Ex iis enim præter Ludovicum Donellium, virum ſane egregium, atque in Medica Philoſophia præſtantiſſimum, excelluere præcipue Dominicus Guglielminus, Jacobus Sandrius, Franciſcus Albertinius Bononienſes; ex exteris autem quamplurimi: inter quos tamen præcipuum obtinet locum Antonius Valſalva Forocornelienſis, qui tantopere Anatomicam facultatem ſuis operibus illuſtravit.

Malpighii doctrinam non modo Hiſtorici omnes, qui per eadem tempora floruere, verum etiam Philoſophi, ac Poetæ quamplurimi ſcriptis celebrarunt. Et ſane quamvis obtrectatores Malpighio defuerint nunquam, qui aut ejuſmodi ſtudia criminati ſint, aut ipſorum inventorum gloriam ei propter invidiam abjudicarint, nemo tamen fuit, a quo & doctiſſimi Anatomici, & Medici præſtantiſſimi laus eidem fuerit denegata. Bononienſium Doctorum Collegium, poſtquam a Pontifice Max. Romam evocatus fuit, Malpighium in numerum ſuorum adſcivit; quamvis Collegii ejuſdem lege cautum foret, nequis in eum ordinem legeretur, niſi qui Bononiæ eſſet natus. Exſtat præterea Malpighii monumentum in ſuperiori Bononienſis Gymnaſii porticu, diſcipulorum ſuorum ſumptibus, inciſum in marmore, cujus hæc ſunt verba.

VIRTUTI ET FAMÆ
IN ÆVUM MANSURÆ
INCLITI VIRI
MARCELLI MALPIGHII
MEDICINÆ PROFESSORIS CELEBERRIMI
UTRAQUE ARTISTARUM UNIVERSITAS P.
ANNO DOMINI MDCXCIV.

Huic Madricardi Siſſæ Parmenſis perelegans accedit Epigramma.

Miraris breve lemma? nomen ingens
Ornari negat: eſt ſatis referri.
Juſſum cætera cur tacere, marmor?
Omnis Malpighium loquetur ætas.

Opera Edita.

EPISTOLÆ DUÆ de Pulmonibus. Bononiæ 1661. fol. —— *Iterum cum Thomæ Bartholini Diatribe de Pulmonum Subſtantia, & Motu impreſſæ Hafniæ. 1663. in 8.*

TETRAS ANATOMICARUM EPISTOLARUM MARCELLI MALPIGHII, ET CAROLI FRACASSATII de Lingua, & Cerebro. Acceſſit EXERCITATIO de Omento, Pinguedine, & Ductibus adipoſis. Bononiæ. 1665. Ex his quatuor Epiſtolis ſuperiores duas Malpighius, poſteriores Fracaſſatius ſcripſit.

EXERCITATIO ANATOMICA de Viſcerum ſtructura.

ra, cui accedit EXERCITATIO *de Polypo Cordis. Bononiæ.* 1666. *in* 4.

—— *Iterum Amſtelodami.* 1669. *in* 12.

—— *Iterum Jenæ.* 1677. *in* 12.

—— *Iterum Francfurti.* 1678. *in* 12.

—— *Iterum in Biblioth. Anat. Mangeti.*

—— *Iterum Gallice reddita. Pariſiis.* 1682. *in* 12.

DISSERTATIO EPISTOLICA *de Bombyce, figuris illuſtrata. Londini.* 1673. *in* 4.

—— *Iterum Gallice reddita. Pariſiis.* 1678. *in* 4.

DISSERTATIO *de externo tactus Organo. Neapoli* 1665. *in* 12.

ANATOME PLANTARUM *cum figuris, cui acceſſerunt* OBSERVATIONES *de Ovo incubato. Pars I. Londini.* 1675. *fol. Pars II. ibidem* 1679. *fol. Tom.* 2.

—— *In Biblioth. Anatomica Le Clerc ex Malpighii Operibus leguntur*

RESPONSIO *ad epiſtolam de recentiorum Medicorum ſtudiis in Biblioth. Anat. Le Clerc T. I. Pag. I.*

EXERCITATIONES ANATOMICÆ.

—— *De Glandularum ſtructura. ibidem.*

—— *De Externo Tactus Organo. ibidem.*

—— *De Cornuum Vegetatione. ibidem.*

—— *De Omento, Pinguedine, & Ductibus adipoſis. ibidem.*

—— *De Hepate. ibidem.*

—— *De Renibus. ibidem.*

—— *De Utero, & Viviparorum Ovis. ibidem.*

—— *De Formatione Pulli in Ovo. ibidem.*

—— *De Polypo Cordis, & Pulmonis. ibidem.*

—— *De Cerebro. ibidem.*

—— *De Lingua. ibidem.*

OPERA OMNIA *figuris illuſtrata. Londini.* 1686. *in fol.* 2. *Tom. Hoc in opere omnia, quæ a Malpighio dum viveret edita ſunt, collecta leguntur.*

OPERA POSTHUMA *figuris illuſtrata, quibus præfixa eſt Auctoris vita ab ipſomet ſcripta. Londini. in fol.* 1697.

—— *Ite-*

—— *Iterum Amſtelodami cum Præfatione, & Supplementis neceſſariis Petri Regis Monſpelienſis. Editio longe priori anteponenda.*

Ea autem, quæ Opera Malpighii poſthuma complectuntur, ex iis, quæ a nobis in ejus vita ſcripta ſunt, facile colligi poſſunt.

His addenda etiam volumina duo inedita Conſultorum Malpighii, quæ aſſervantur Romæ in Biblioth. Noſocomii S. Spiritus in Saxia.

EUSTA-

EUSTACHIO ZANOTTO

ANGELUS FABRONIUS S. D.

Nihil eſt, mi amiciſſime Zanotte, quod a te magis velim, quam ut commentariolum de vita Gabrielis Manfredii hortatu tuo a me confectum corrigas, hoc eſt & demendo, & addendo totum aliud facias. In te mihi omnis ſpes eſt. Tu enim pro tua ſingulari ſcientia in mathematicis facultatibus vides quæ immortalis ille vir & tractaverit, & ſcripſerit ad illas ipſas facultates illuſtrandas, atque amplificandas, quæque hic referre, ſuoque in lumine collocare oporteat; et pro ſumma familiaritate, quæ tibi cum tota Manfrediorum domo interceſſit, nihil ignoras, quod ad illam quoquo modo pertineat. Omnes quidem admirabantur te adoleſcentulum libenter concedere æqualibus tuis ludos, oblectamenta, vacationeſque ſtudiorum, ut tibi liceret eſſe cum Manfrediis fratribus, quorum uſu fieres quotidie doctior. His omnia officia tua præſtabas, ab horum nutu, atque conſilio pendebas, horum exempla domeſticis adjun-

Digitized by Google

adjungebas, quæ tibi imitanda proponeres; cumque illos tibi mors eripuerit, gravius & diutius luxiſti quam ullus filius parentes cariſſimos. Hæc quidem ſatis declarant inſignem pietatem tuam. Quem vero fructum ex eorum diſciplina perceperis ex eo facile intelligi poteſt, quod Euſtachio ſucceſſeris in munere aſtronomi Inſtituti Scientiarum, *quodque nemo unquam dubitaverit, quin meritiſſimo ſucceſſeris. Vivunt adhuc teſtes, qui ſummum illum virum audierunt interruptis, ac morientibus vocibus hos tibi ſenſus declarare; plurimum ſe tibi debere, quod ætas ſua ingraveſcens in benevolentia, atque in adoleſcentia conquieviſſet tua; & hoc etiam nomine ſe minus dolere mortem, quod poſtquam pluribus annis te adjutorem habuiſſet in aſtronomi munere, liberum tibi campum relinqueret, in quo cum nominis tui gloria, reique familiaris fructu poſſes excurrere. Sed nolo pluribus dolorem, ac deſiderium tuum refricare. Tu me amabis, ut quidem amas; qua in re non patiar me a te vinci. Vale, & ſalutem plurimam dic Franciſco Mariæ avunculo tuo viro doctiſſimo, & elegantiſſimo, quem etiam*

mibi

Digitized by Google

mihi opto harum mearum ineptiarum Ariſtarchum. Iterum vale.

Florentiæ VIII. Kal. Quint. MDCCLXVIII.

GABRIEL MANFREDIUS.

Iiſdem parentibus, quibus Euſtachius Manfredius, cujus vitam priori Decade explicavimus, natus eſt Gabriel Manfredius VIII. Kal. Apriles an. MDCLXXXI. Fuit haud vulgare illud munus fortunæ, quod in ea domo ortum habuerit in qua præclarum inerat exemplum, quod ſibi ante oculos poneret; hoc ſpecimen ingenii, & induſtriæ, quod fratris gloriæ plane reſponderit. Ut primum e pueris exceſſit Gabriel, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis informatur, Medicinæ operam dedit in qua præceptorem habuit Dominicum Guglielminium. Sed non diu permanſit in hoc ſtudio, cum naturæ quadam lenitate adeo perturbaretur in contemplandis, quibus humana vita ſubjecta eſt, malis, ut interdum illum animus relinqueret. Plurimum ſe exercuit in Geogra-

graphia; adeoque ſtudioſus erat aut legendi, aut audiendi deſcriptiones regionum, ac rerum, quæ in eis eſſent admirandæ, ut nulla extet pars terrarum neque tam longinqua, neque tam recondita, quo ipſe non pervaſiſſe videretur. Ea propter in iis linguis cognoſcendis, quas cultiores Europæ populi loquuntur, ac præſertim Hiſpanica multum temporis conſumpſit. Attigit quoque poeticen, ne expers eſſet ejus ſuavitatis; & non ſemel, dum recitaret verſus in litteratorum hominum cœtibus, plauſus maximos excitavit. Denique admirabili quodam ad mathematicas diſciplinas ſtudio commotus, totum iis ſe tradidit; ad quas eo etiam acrius animum adjecit, quod in his nova quædam, & pene inaudita Italis eſſe intellexerat, quæ ſine ſummo dedecore ab iis ignorari non poſſe videbantur, qui in omni præclara facultate ceteris ſemper lumen prætulerunt. Ea jam tum in ſcholis Europæ prope omnibus invaluerat conſuetudo, ut quæſtiones quotcumque in Geometria occurrunt, per Algebram diſſolverentur; qui mos a Carteſio invectus uſque adeo celebrabatur, ut qui Al-

ge-

gebram non tenerent, mathematici vix eſſe viderentur. Pulcherrimum hoc ſtudium Italiam nondum pervaſerat, nemoque Bononiæ erat, qui in illo exerceretur. Ejus igitur deſiderio exarſit Gabriel, ſeque, atque alios ad Carteſianam Algebram excitavit, in qua brevi tempore tantos progreſſus fecit, ut potuerit cum doctiſſimis comparari; quodque mirabilius eſt, obſcuriſſimos per volvens libros infinitorum etiam analyſim, nullo duce, & perdiſcere, & illuſtrare. Cœperat jam tum extra Italiam ſummo in honore eſſe hæc analyſis. Conſtat tamen inter omnes, in operibus Cavalerii, Galilæi, ac Torricellii quædam veluti ſemina hujus facultatis reperiri: ſed multo plura tradiderunt Walliſius, Bullialdus, Barrowius, aliique. Leibnitius vero, & Newtonus adeo rem perfecerunt, ut adhuc inter eruditos diſceptetur, utri eorum adſcribenda ſit calculi differentialis inventio. Altera autem hujus ſcientiæ pars, qua ex datis quantitatum elementis horum ſumma, & illarum valor exquiritur, tam præclare a Bernoulliis pertractata, aucta, & illuſtrata fuit, ut tamquam inventores

tores

tores merito ab omnibus ſuſpiciantur. Hanc, quam calculum integralem appellant, exponendam ſibi Manfredius propoſuit. Librum itaque confecit, cum ageret annum xx. ediditque ſexennio poſt *de conſtructione æquationum differentialium primi gradus*, in quo ea omnia, quæ ſua ætate a doctiſſimis mathematicis inventa fuerant, & in Actis Academiæ Lipſienſis, & Pariſinæ, aliiſque libris nullo ordine, nullaque methodo jacebant ſparſa, non ſolum ad certa capita, & ad artem redegit, ſed etiam exornavit, amplificavitque. Problematis enim analyſim præmiſit, unde facillimum ſit agnoſcere, qua via ſummi Geometræ ad ſolutionem pervenerint, quod certe in eorum ſcriptis deſiderabatur. Agit itaque primo de modis, arte, atque ſolertia, qua opus eſt, ut ex nonnullis curvarum proprietatibus erui poſſint æquationes differentiales. Cum autem illarum ad finitam ſummam reductio, ſeu integratio ſemper haberi non poſſit, totum ſtudium in eo poſuit, ut regulas, quantum fieri potuit, traderet univerſales, ad quas tamquam ad exemplaria referantur æquationes, quarum elementa, ſive

unam, ſive plures habeant dimenſiones. Tradidit quoque ſatis concinnam methodum [quam per analyſim, & ſyntheſim demonſtravit] quantitates logarithmicas cujuſcumque dimenſionis per infinitam terminorum ſeriem ſummandi, quæ ſeries non raro finita evadit. Et hæc quidem omnia quando in æquatione unica tantum quantitas variabilis locum habeat, quod ſi duæ reperiantur, ſive ſeparari poſſint, ſive non, multa ab Auctore traduntur, quibus illarum conſtructio poſſit obtineri. Merito igitur opus tam eximium omnium admiratione exceptum fuit, pluraque a Manfredio, & majora incrementa ſibi pollicebatur analyſis. Nec fruſtra. Licet enim ab altiſſima contemplatione publicis muneribus avocaretur [nam an. MDCCVIII. adlectus fuit in numerum eorum, qui Senatui, Populoque Bononienſi ſunt a Secretis] novam tamen rationem quantitates variabiles in æquationibus primi gradus ſeparandi invenit; quæ in volumine XVIII. Ephemeridum Litteratorum Italiæ edita fuit. Docuit enim hanc ſeparationem obtineri ſemper poſſe, unica tantum adhibita ſubſtitutione, ſi unius,

unius, duabus vero ſubſtitutionibus, ſi plurium dimenſionum ſint elementa, dummodo in utraque ſpecie variabilium dimenſiones ſimul ſumptæ æquales ſint in ſingulis æquationis terminis. Hujus inventi gloria Manfredio a pleriſque jure meritoque adjudicata fuit; verum cum hanc laudem nonnulli Joanni Bernoullio attribuerent, quam falſo ab his judicatum fuerit, ſatis oſtendit chartæ plagula ipſius Manfredii manu ſcripta, quæ poſt mortem illius inventa eſt, cujuſque exemplum hoc loco referre ad ejuſdem, & Italiæ gloriam plurimum intereſſe arbitramur (1). Quod

(1) Quel mio Teorema per la ſeparazione delle indeterminate, quando le dimenſioni delle medeſime ſono le ſteſſe in ogni termine dell' equazione differenziale, da alcuni è attribuito al Signore Giovanni Bernulli. Ho ſempre avuto curioſità di ſapere con qual fondamento a lui ſia aſcritto, e non a me, che lo pubblicai ne' Giornali di Venezia nel Tom. XVIII. nell' an. 1714. Ho finalmente trovato nell' opere del detto Signor Bernulli ſtampate in Loſanna e in Ginevra Tom. III. pag. 109. e 110. che eſſo dice d'averlo comunicato fin dal tempo del naſcente calcolo al Marcheſe dell' Hoſpital o per lettere private, o nelle lezioni fatte per ſervizio del medeſimo Signore. Queſto teſto del Bernulli, ove eſſo fa queſta ſua dichiarazione, e che è inſerito nel detto Tom. III. delle ſue opere della detta impreſ-

 ſione

Quod autem Manfredius hoc ſcriptum, dum vixit, occultaverit, id magno argumento eſt illum

ſione è defunto dai commentarj dell' Accademia di Peterburgo Tom. 1. p. 167. ſtampato ſolamente l' an. 1728. nell' detto 1. Tomo di Peterburgo. Il medeſimo Bernulli alla pag. 191. referiſce ancora che io nel mio libretto *de conſtructione æquationum &c.* confeſſo di non ſapere il modo di ſeparare le indeterminate nell' equazione $nxxdx - nyydx + xxdy = xydx$, la quale pure è di quelle, che ſono compreſe nel mio Teorema. Forſe di quì pretenderà di far credere, ch' io non ſia l' autore di quel Teorema. Ma ſi avverta, che il detto mio libretto è ſcritto ne' primi anni di queſto ſecolo, ed è ſtampato nel 1707. in tempo, che ne' io, ne' il Signor Bernulli, ne' forſe il Leibnizio avrebbero ſaputo ſeparare le indeterminate nella detta equazione, e che il detto mio Teorema fù poi ritrovato ſolamente verſo il 1714. quando fù ſtampato il detto tomo de' Giornali di Venezia, dove quello fù pubblicato, laddove il Bernulli non hà mai moſtrato d' avere queſto Teorema, ſe non negli atti di Peterburgo Tom. 1. ſtampati nel 1728. come ſopra è detto. Anzi neppure il Bernulli in queſto ſuo medeſimo ſchediaſma degli Atti di Peterburgo moſtra di aver compreſa tutta l' ampiezza del Teorema, perchè alla pag. 170. del detto 1. Tom. di Peterburgo pretende di amplificare il Teorema coll' eſtenderlo anche all' equazione $axdy + dx\sqrt{xx+yy} = 0$, che è un caſo ſempliciſſimo, e dei primi, che cadono ſotto il detto mio Teorema riferito nel detto Giornale di Venezia, dove ſi fa vedere, che cento ſegni radicali

illum a gloriæ cupiditate fuiſſe alienum ; & hoc ipſum ex eo etiam intelligi poteſt , quod alia a ſe feliciter excogitata minime in lucem protulerit. Invenit quippe anno MDCCXX. methodum ſolvendi per calculum differentialem ea problemata *de maximis*, *& minimis*, in quibus maximum vel minimum eſt quantitas data & conſtans . Neque multo poſt invenit etiam certam viam , atque rationem ſeparandi quantitates indeterminatas, unica adhibita ſubſtitutione , in omnibus æquationibus differentialibus primi gradus , in quibus eædem indeterminatæ primam dimenſionem nullo in termino excedunt. At quantum deſpiciebat propriam , tantum provehebat gloriam aliorum , ac præſertim auditorum ſuorum , quibus libentiſſime omnia , quæ ſciebat , impertiebatur ; maximaque afficiebatur lætitia , ſi quis eorum inventis ſuis aliquid adderet . Itaque cum

cali (non che un ſolo) non tolgono l' uſo del detto Teorema , che di più ſi eſtende a qualunque dimenſione degli due differenziali *dx* , & *dy* ; e baſta leggere il detto ſchediaſma Bernulliano negli atti di Peterburgo alla pag. 170. per conoſcere , che Bernulli non aveva ancora ſin a quel tempo ravviſata tutta la eſtenſione , che hà il detto Teorema . Queſta Annotazione è fatta li 7. Giugno 1747.

Franciſcus Maria Zanottus novam quamdam ſeparandarum indeterminatarum rationem inveniſſet, quæ & illam, quam ipſe, & Bernoullius vulgaverant, contineret, & alia etiam quamplurima complecteretur, & manaret latius, Zanotti inventum probavit Manfredius, commendavitque vehementer, diſcipulo gaviſus ſuo. Poſt illa, quæ narravimus, reperit Gabriel methodum formularum convertibilium, qua problema ſolvit, quod Geometris non Anglis propoſuerat Taylorus, reducendi videlicet ad quadraturam circuli, vel hyperbolæ integrale celebris formulæ Coteſii. Hæc autem edidit in II. volumine *Supplem.* Ephemeridum Litteratorum Italiæ, ex iiſque apparet Geometram Anglum dimidio tantum problematis ſatisfeciſſe. Methodum hanc ſuam formularum convertibilium fuſius etiam explicavit in opuſculo quodam, quod relatum eſt in volumen I. rerum Academiæ Bononienſis. In tertia vero parte voluminis II. demonſtravit eas omnes æquationes plerumque per ſolos arcus circuli datæ tangentis ſummari poſſe, & aliquando abſolute algebraicas evadere, quarum

rum membra ſeparatis indeterminatis ſint fractiones rationales, & in denominatore radices reales non habeant, ſed tantummodo imaginarias. Oſtendit quoque æquationem gradus quarti, cujus omnes radices ſint imaginariæ, ſemper dividi poſſe in duas quantitates reales ſecundæ dimenſionis. Tandem in volumine III. tradit rationem inveniendi formulas reciprocas æquationum irrationalium, cujus uſum praecipue exponit determinando valorem fractionis, in qua, conſtituto quodam variabilium valore, denominator, numeratorque nihilo æquales evadant, quod problema propoſuerat Hoſpitalius. Hæc porro omnia ſatis declarant præſtantem, ac prope ſingularem Manfredii doctrinam in ſublimiori Analyſi. Hanc intuens Senatus Bononienſis, illius diſciplinæ docendæ in patrio Lyceo an. MDCCXX. eidem munus impoſuit. Cui quidem muneri cumulatiſſime ſatisfecit; ejuſque ſchola non ſolum a flore juventutis, ſed etiam ab illuſtrioribus mathematicis frequentata fuit. Omnes autem cum exemplo, tum voce hortabatur, ut quas laudes ſtudio, & induſtria ſua majores noſtri pe-

pererant, & quæ alio translatæ maxime vi-
guerant, eas in illam urbem referrent, quæ
ſemper eſt habita magnarum facultatum & ar-
tium mater & altrix. Neque minus Gabriel
valebat Aſtronomia, quam ab adoleſcentia
ſtudioſe coluit, duce & comite Euſtachio
fratre. Itaque an. MDCCX. ei Senatus manda-
vit, ut ſingulis annis conderet Kalendarium
Aſtrologicum; multumque fratrem adjuvit in
iis, quæ ad illuſtrandam, amplificandamque
aſtrorum ſcientiam in vulgus edidit. Mortuo
fratre, munus ei datum eſt, ut præeſſet aquis
Bononienſis agri, in eoque ejus opera magni
fuit. Nam & prudens, ſi quis alius, erat
rei aquariæ, tantaque caritate ferebatur in pa-
triam, ut nihil aliud agere velle videretur,
quam ut ei, quibus rebus poſſet, eſſet præ-
ſidio. Id ex ipſis ſcriptis judicari poteſt, quæ
multa reipublicæ cauſſa confecit, quibuſque
utiliſſima, & doctrinæ plena dedit monita ad
removenda aquarum pericula. Nec ſolum in
hac aquarum procuratione, ſed in aliis quo-
que publicis negotiis Senatus Bononienſis
Gabrielem actorem, auctoremque habuit. Sic
ille

ille cum multis, magniſque meritis apud cives ſuos valeret, præcipuis ab iis, quoad vixit, honoribus affectus eſt. Neque vero minus apud abſentes fama florebat; ex quo factum eſt, ut ſæpe a Principibus viris de dirigendis, avertendiſque aquis conſuleretur, quibus ſic ſatisfecit, ut nunquam eos exquiſitæ a Manfredio ſententiæ pœnituerit. Noviſſimo tempore conſultus etiam fuit a Summo Romano Pontifice de exſiccanda Pontina palude. Loca inviſit Gabriel, reque mature perpenſa, retulit Pontifici non dubitare ſe illam perfici poſſe, ex eaque magnas utilitates conſecuturas. Quæ autem ipſe obſervaverat, & cogitaverat ſcripto expoſuit, quod eſt in manibus hominum. Hactenus res geſtas Manfredii ad publicæ rei bonum retulimus. Reſtat ut dicamus de moribus ejuſdem, ingeniique facultatibus, & ſi qua alia digna memoria erunt. Fuit in eo ſumma humanitas, & mira comitas; et quidquid rogabatur, ſi modo præſtare poſſet, facile admittebat. In exequendo vero quod ſemel admiſiſſet, tanta erat diligentia, ut non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere.

Ve-

Veritatis diligens mendacium, ac ſimulationem pati non poterat. In magna nominis fama ſemper abſuit ab inſolentia gloriæ; & cum rem ſuam familiarem potuiſſet augere propter multa, quæ habuit a Principibus, & Magiſtratibus mandata, ita tamen ſe geſſit, ut nullius rei cupidus, niſi publicæ utilitatis eſſe videretur. Eum ſemper ſe præſtitit in rebus & publicis, & privatis, ut prudentiæ, & conſtantiæ ſervierit. Convivia, liberoſque jocos, præſertim ſi cum amicis verſaretur, amavit; nec facile invenias, qui ſale, & lepore cum Manfredio potuerit contendere. Ex quo fiebat, ut omnes ejus congreſſionem plenam hilaritatis cuperent. Mirum! quod etiam illa, quæ frigidiòra erant, fierent narrante illo venuſtiſſima. Sed interdum viſus eſt, quod in ejus laudibus non ponimus, dum nimium vellet jocis tribuere, aliquid religioni detrahere. Uxorem duxit Thereſiam a Sole ſororem Joſephi a Sole, qui merito in optimis ſui ævi pictoribus numerabatur; & ex illa tres ſuſcepit liberos. Animo maximo, ne mortis quidem aſpectu perterreri potuit, quam obivit III. Id.

Octo-

Octobris an. MDCCLXI. poſtquam diuturno conflictatus fuiſſet morbo. Hujus vis poſtremo tempore in inteſtina prorupit; cumque febrim acceſſiſſe ſenſiſſet, Canonicum Herculem Mariam Zanottum ad ſe arceſſiri juſſit; eoque adjutore, & miniſtro, omnia, quæ ad Religionem pertinent, rite perſolvit. Sepultus eſt in Æde S. Mariæ Magdalenæ, quam qui ingreditur, rediens in memoriam Euſtachii, Gabrielis, Heracliti, & Æmilii, Magdalenæ, & Thereſiæ ſororum, & fratrum Manfrediorum, qui omnes eo loci conditi ſunt, eum vix temperare ſibi a lacrymis poſſe arbitror, cum cogitet viros, feminaſque immortalitate digniſſimas morte extinctas fuiſſe. Fuit quidem Heraclitus Euſtachio, & Gabrieli, de quibus ſatis multa diximus, ætate inferior, ſed par ingenio. Excelluit enim in omnibus Mathematicis diſciplinis, & præſertim in Medicina, quam ad extremam ætatem ſumma opinione doctrinæ exercuit. Manfrediis fratribus addere debemus Æmilium, qui cum Societati Jesu nomen dediſſet, magnorum oratorum numero eſt habitus. Erat etiam Græcis litteris doctus, & poeta

ta non inſuavis. Magdalena, & Thereſia non ignaræ erant philoſophiæ, rerumque mathematicarum. Sic vero callebant muliebres artes, ac præſertim illam, qua telæ pinguntur acu, varianturque, ut parem nullam haberent. Thereſia etiam verſus faciebat ſermone vernaculo, quibus nihil poteſt eſſe feſtivius, et urbanius. Sed ſatis de Manfrediis; ad reliquos enim feſtinamus.

Opera Edita.

DE CONSTRUCTIONE Æquationum differentialium primi gradus. Authore Gabriele Manfredio Phil. Doct. Bononienſi, Philoſophicæ, quæ in patria eſt, Academiæ ſocio Ordinario. Illuſtriſſ. atque ampliſſ. Bononienſi Senatui. Bononiæ typis Conſtantini Pſarii, 1707. in 4.

Juvat hic referre clariſſ. Leibnicii epiſtolam, quam ad Manfredium ſcripſit, cum ab eo accepiſſet memoratum *Æquationum* librum.

Illuſtriſſimo & Celeberrimo Viro Gabrieli Manfredio Gudefridus Guilielmus Leibnitius S. P. D.

PRo munere egregio gratias & meo & publico nomine tibi ago. Debebit tibi Italia, aliiſque paucis, ne expers ſit elegantioris, profundioriſque Geometriæ nuper apertæ. Nec dubito, veſtra ingenia magnos in ea progreſſus factura, ubi ſemel rectæ viæ inſtiterint. Vobis totam prope Algebram debemus, qualis hactenus habetur; nam cubici gradus reſolutio Scipionis Ferrei, & biquadratici eſt Ludovici Ferrarii. In Geometria ſublimiore cœperant præclari aliquid agere Ca-

Cavallerius & Torricellius ; ſed cum in ipſis initiis hæſiſſent, alii eorum ſtudiis adiuti progreſſi ſunt longius, tandemque res ad quoddam Analyſeos ſeu Calculi genus a me perducta eſt. Eam quis miretur multum abeſſe a perfectione ? cum ne in Algebra quidem hactenus aliquis publice proceſſerit ultra quartum gradum, aut ſaltem viam longius progrediendi oſtenderit. Tu quidem eleganti, atque utili compendio ſparſim expoſita complexus es, ut facilius appareat, quid adhuc deſideretur. Æquationem differentialem, quam ſub finem Operis conſtruis ita reſolvere ſoleo : ſit $dy : dx = z + vy$, poſito v, & z dari per x utcumque. Fiet $y = n \int (z\,dx : n)$ & $\log. n = \int v\,dx$, ſeu $b^{\int v\,dx} = n$, adeoque tandem erit $y = b^{\int v\,dx} \int (z\,dx : b^{\int v\,dx})$.

Optem autem regreſſu facto Catalogos exhiberi æquationum differentialium tractabilium, ut, oblata aliqua, conſtituere facilius poſſimus primo aſpectu, an ſit in poteſtate. Sed maxime prodeſt artem exerceri per problemata, veluti ſi quis ſibi proponat in ſuperficiebus datis minimam a dato puncto ad datum ducere, aliaque id genus. Per problemata enim, & ingenium acuitur, & ſcientia augetur, atque in uſus transfertur.

Cæterum mihi ſemper gratiſſimum erit, tuo vel amicorum tuorum beneficio diſcere, quid apud vos in provehendis ſcientiis geratur. Nam & anatomiam pulchre apud vos excoli video. Sed Medicina ipſa ubique adhuc ſquallet, nec reperta ſatis ad uſum accomodantur. Itaque felicioribus ſæculis, ideſt quibus homines, & maxime Principes, magis rem ſuam curent, tranſcribere hæc oportet. Quod ſupereſt vale, & fave. dabam Hannoveræ 10. April. 1703.

VOTO del Sig. Dottore Gabrielo Manfredi Pubblico Profeſſore di Mattematica nella Univerſità di Bologna ſopra il parere de' due Periti di Bologna, e di Ravenna circa l'arginare il Po di Primaro, da eſſi ſteſo dopo la viſita dello

ſteſſo

ſteſſo Po fatta nel 1758. *d' ordine della ſan. me. di Benedetto XIV.*

RISPOSTA al Sig. Bertaglia in difeſa del ſuddetto Voto.

BREVE SCHEDIASMA geometrico per la coſtruzione di una gran parte dell' equazioni differenziali del primo grado. Extat in Volumine XVIII. del Giornale dei Letterati d' Italia.

SOLUZIONE d' un Problema appartenente all' Calcolo Integrale. Extat in Volumine II. *de' Supplementi al Giornale de' Letterati d' Italia.*

Extant in Commentariis de Bononienſi Scientiarum, & Artium Academia hæc Manfredii Opuſcula.

DE FORMULIS quibuſdam integrandis Tom. I.

DE ELIMINANDIS ab æquatione arcubus circularibus, & alia Tom. II. Part. III.

DE INVENIENDIS datarum formularum irrationalium reciprocis. Tom. III.

JOAN-

JOANNES BAPTISTA MORGAGNIUS.

JOANNES BAPTISTA MORGAGNIUS nobilis Forolivienſis. Is natus eſt Foro Livii v.Kal.Martias an.MDCLXXXII. patre Fabricio, matre Maria Torniellia. Septimum ætatis annum nondum abſolverat, cum ei pater deceſſit: quo factum eſt, ut matris curæ concreditus, quæ ei omnia, quippe unico, cupiebat, primos illos ætatis annos ita tranſegerit, ut & moribus quod debebatur, & ſtudiis tribueret. Per hæc tempora magnum adiit vitæ periculum. Nam cum in canalem lapſus longis fornicibus magna ex parte obtectum, aquiſque redundantem, a profluente ſub fornicem raperetur, & jam mergi deberet, cujuſdam hominis auxilio ſublatus tantum evaſit periculi. Forte fortuna venerat ad eum locum homo ille; cumque jam puerum prætergreſſus fuiſſet, non illum cadentem vidit, tantum neſcio quid ſtrepitus audivit, ſed non propterea advertit oculos, progreſſuſque paullulum viæ, ſibi viſus eſt audire intime monentem, ut retro reſpiceret.

Reſ

Digitized by Google

Reſpexit, accurrit, & in canalem ſe proje-cit, ut opem pereunti ferret. Jam a prima ætate magnam de ſe expectationem movit linguas addiſcendo, omnemque illam eruditionem, quæ ad humanitatem pertinere videtur; illudque conſecutus eſt, ut, quas ligata ſolutaque oratione in medium proferret, lucubrationes omnibus probarentur. Quod ei contigit etiam dum ſcientiarum ſtadium percurrit, & in iis experimentum publice præbuit. Qua in re accidit, ut cum Jeſuita quidam argumentum propoſuiſſet, ſimulque diſticon neſcio quod adoleſcentis laudes complectens recitaſſet, Morgagnius mira quadam ingenii alacritate diſtico primum, mox argumento reſponderit. Libuit illi Theſes ſuas Cardinali Ottobonio dedicare, a quo, ut & ab ejus magno patruo ALEXANDRO VIII. P. M. multa in maternam familiam beneficia, atque ornamenta profecta fuerant. Hæc quidem fuit prima Morgagnii inſtitutio apud cives ſuos. Poſt Bononiam venit [agebat tunc decimum & ſextum ætatis annum] ea mente, ut ad cognitionem rerum medicarum potiſſimum ſe con-

conferret. Qua in facultate cum ibi florerent eo tempore Malpighii auditores, & in iis Jacobus Sandrius, Hippolytus Franciſcus Albertinius, & Antonius Maria Valſalva, qui præ ceteris in Anatome, ſine qua Medicina eſſe non poteſt, excellebat, his ſe inſtituendum dedit. Eodem quoque tempore adoleſcentulus doctiſſimo omnium ingenio aliis diſciplinis erudiebatur; ac brevi ita tenuit Philoſophiam, ac Medicinam, ut cum a præceptoribus diſceſſiſſet, nemo de iis, qui peritiſſimi habebantur, huic anteponeretur. Philoſophiæ ſtudia per hoc tempus renovanda putavit, ut ſatis deſiderio faceret noſcendi recentiorum diſciplinam, quod deſiderium excitavit *Philoſophia Burgundica P. du Hamel*, quæ ei, paullo antequam e patria diſcederet, forte ad manus pervenerat. In hoc cum eſſet occupatus, ophthalmia correptus eſt, eaque cum acri ſubinde dolore conjuncta non modo legendi, ſcribendique, ſed etiam ſomnum capiendi, niſi palpebris impoſita pulpa tepida pomorum dulcium, facultatem eripiebat. Qua valetudine cum adhuc premeretur, ſua prorſus divina

 me-

memoria fretus non dubitavit ſolemne certamen inire (id fuit anno MDCCI.) ut in album Doctorum referretur. Qua re ſummo cum plauſu peracta, in patriam conceſſit, ibique brevi convaluit. Ex quo tempore, ſi ophthalmiam alteram, quæ ſeneſcenti accidit, ſed breviorem, excipias, ad extremam uſque ſenectutem ita bonis uſus eſt oculis, ut adoleſcentiam non requireret. Cumque aliquando interrogatus fuiſſet, qua ratione priſtinum illud robur tamdiu conſervare potuiſſet in tanta, ac tam aſſidua oculorum contentione, *non alia*, reſpondit, *quam faciei, & palpebrarum lotione matutina ab eo tempore, quo ægrotavi, ſic inſtituta, ut non temere quavis aqua uterer, ſed ea dumtaxat, quæ recens e puteo hauſta eſſet*. Cum Bononiam ad ſtudia litterarum rediiſſet Morgagnius, magno adjumento fuit præceptori ſuo Valſalvæ in iis rebus, quas ſcripſit, ediditque in vulgus an. MDCCIV. *de aure humana*. Hic quoque plurimum utebatur Morgagnio in diſſectionibus humani corporis, quas in celeberrimo Bononienſi Gymnaſio publice habebat: idque munus ſolus ipſe ſuſtinuit

nuit eo anno, quo idem Valſalva Parmam accerſitus Bononia aberat. Quibus rebus factum eſt, ut brevi illuſtraretur. Atque hoc in primis erat in adoleſcentulo mirabile, quod præter laudem rei anatomicæ maximam, ita in aliis quoque facultatibus excellebat, ut videretur omnia conſequi poſſe ſimul ac velle cœpiſſet. Sic enim Hetruſce ſcribebat, ut appareret in eo nativum quemdam leporem eſſe, non adſcitum. Tanta autem erat elegantia ſermonis Latini, ut cum elegantiſſimo quoque ſcriptore poſſet comparari. Noverat & Græcas litteras; attigerat & poeticen, credo quod illius dulcedinis expers eſſe noluerit; præclare tenebat Botanicam, & Geometriam, quod in iis non parum ad ſua ſtudia præſidii eſſe putaverat; ob eamdemque cauſſam Opticam perdidicerat, Hydraulicam, Mechanicam, nec non in Aſtronomia ſe exercuerat. Igitur cum haberet ſtudia communia cum multis, eſſetque ſingulari bonitate, moribuſque plane facillimis, & ad omnem rationem humanitatis accommodatiſſimis, ita vivebat Bononiæ, ut univerſis civibus merito eſſet cariſſimus. Utebatur

tur autem intime Manfrediis fratribus, Jacobo Bartholomæo Beccario, & Joanne Antonio Stancario, hujuſque fratre Victorio, cum quibus duobus poſtremis ipſi neceſſitudo quoque erat contubernii. Has ob cauſſas præcipuus ei honos habitus; creatus eſt enim, cum nondum compleſſet ſecundum & viceſimum ætatis annum Princeps Academiæ Inquietorum, in quam fuerat quinquennio ante cooptatus. Qua in poteſtate præclaras res geſſit. Nam perſuaſit Academicis, ut relictis inanibus diſputationibus, novam, utilemque amplecterentur philoſophandi rationem; noviſque conditis, propoſitiſque legibus, has ut omnes probarent effecit. Plura hac de re perſecuti ſumus in vita Euſtachii Manfredii, qui & conditor illius Academiæ, & ſocius una cum Victorio Stancario glorioſo in labore Morgagnio fuit. Hic vero, ut collegas ad occulta naturæ inveſtiganda ſuo exemplo inflammaret, in ſolemni ac publico Academiæ conventu, qui habitus eſt anno poſtquam Princeps ipſe fuerat, recitavit quæ ei in longa cadaverum ſerie attentiſſime ſpectanti ſe ſe obſervanda obtulerant, & in adverſaria conjecerat

rat. Neque hæc communia & pervulgata, ſed pleraque nova, omnia vero difficillimam cognitionem habentia. Ex quo factum eſt, ut non modo laudem ingenii, ſed etiam admirationem ſit conſecutus; nulluſque auditorum fuerit, qui eum non ſit hortatus, ut illa in lucem proferret, pollicitus fore & ipſi & Academiæ honorificentiſſima. Paruit ille horum conſiliis, ediditque anno MDCCVI. Bononiæ librum, quem inſcripſit *Adverſaria Anatomica prima*, inſtituitque ad Euſtachium Manfredium tunc Academiæ Principem, ceteroſque ſodales. Nihil enim magis laborabat, quam ut in Academiam, cui quidquid erat, videbatur referre acceptum, gratiſſimus cognoſceretur. Dividitur opus in partes tres, quarum in priori exponuntur quæ ipſe primus omnium aut vidit, aut deſcripſit in humani corporis fabrica. Talia ſunt glandulæ arytænoidææ [neceſſe fuit nova novis rebus imponere nomina] quæ de epiglotidis foveis, glandula, & lateralibus vinculis, & quæ de vinculis quoque labrorum tradit: tum quæ de finibus eorum muſculorum, quos hyothyroidæos vocant, & ſterno-

nothyroidæos, ac de horum tendineis inſcriptionibus: quidam vuulæ, & pharyngis muſculi: foramen ſæpius in lingua conſpicuum: duo tenuia corpora non modo in virili, ſed & in muliebri veſica extantia: urethræ foramina, & canaliculi peculiares: ſabaceæ glandulæ in nymphis, in palpebris, in mammarum areolis, & in aliis plurimis partibus: & quæ denique de vagina, & de valvulis cervicis uteri docuit. In ſecunda vero parte perſequitur illa, quæ a graviſſimis Anatomicis olim quidem propoſita erant, ſed quæ mox vetuſtate obſoleverant, & hujuſmodi ſunt arytænoidum cum cricoide articulationes, laryngis ventriculi, medium epiglottidis ligamentum, ligamentum penis ſuſpenſorium, & corpuſcula quædam, quæ in aortæ, & pulmonaris arteriæ valvulis viſuntur. Hæc reſtituta a Morgagnio ſatis comprobant quantum acuminis, ac diligentiæ ipſe conferret ad lectionem veterum ſcriptorum; hoc vero ſpecimen moderati animi, & ab inani gloria abhorrentis, quod ſequi noluerit illorum exemplum, qui ſibi tribuere non dubitarunt inventionem earum rerum, quas ab oblivione hominum,

minum, atque a ſilentio vindicaſſent; id quod, ſi cui facere liceret, ipſi præ ceteris licuiſſet, ut qui res non modo reſtitueret, ſed etiam illuſtraret, ac augeret, novis ſubinde propriiſque adjectis circa illas obſervationibus; quod ut in ſecunda libri parte, ſic in tertia quoque facere non omiſit. In hac demum propoſuit quid ipſe obſervaſſet de quibuſdam magnorum hominum controverſiis. Primo venit in medium illa, quæ poſita eſt in eo, utrum ſanguis fluat per eam anaſtomoſim, quæ eſt in fetuum cordibus, de cava in pulmonarem venam, an vero de pulmonari feratur in cavam, ac priorem opinionem comprobat. Hanc ſequitur controverſia de venæ umbelicalis in jecur ingreſſu, & de illius ſanguinis per hoc progreſſione, quibus in rebus cum iis facit, qui fuerunt diligentiores. Tertia controverſia eſt, an ad internum humani quoque oculi latus, præter carunculam lacrymalem alia glandula, aut ſaltem an ea caruncula pro glandula agnoſcenda ſit, & iis qui utrumque negant, aſtipulatur. Contra in quarta controverſia, quæ in eo verſatur, ſiant nec ne oſſeæ in ſeneſcen-

 tibus

tibus laryngis cartilagines, ſintque medulloſa ſubſtantia refertæ, ſententiæ eorum, qui utrunque affirmant, adhæret. Inde tranſit ad oſtendendum, quonam loco aſperæ arteriæ cartilagines deſinant eſſe ſemiannulares, de qua re non adhuc inter Anatomicos conveniebat; ut ne illud quidem conveniebat ante Morgagni obſervationes hoc loci propoſitas, qua magnitudine, & ubinam glandulæ ejuſdem arteriæ locatæ eſſent. Idem fecit ut non amplius controverteretur, an una eſſet thyroidæa glandula, quam glandulam peculiari ductu inſtructam eſſe, quamvis non pro certo ſtatuat, probabile tamen eſſe oſtendit. Solvit controverſiam, quæ etiam tum vigebat, unde naſcantur muſculi coracohyoidæi, demonſtrans ab eo ſcapularum latere, quod coſtam ſuperiorem vocant, initium ſumere. Multa quoque ſolvit de iis muſculis qui laryngis cartilaginibus proprie ſunt attributi; exponitque quid ipſe obſervaverit de hymene, de ovariis, de tubis Faloppianis, de lacunis foſſæ muliebris, de fontibus cujuſdam muci ad cervicem uteri occurrentis, ac denique de menſtruo cruore,

re , qua is ex uteri parte fluat , de quibus rebus variæ erant opiniones , atque inter ſe diſſidentes . Hæc omnia non multis litteris , & parvo omnino volumine continentur . Nos in iis referendis longiores fortaſſe fuimus , quam inſtituti noſtri ratio poſtulat . Sed id ea de cauſſa fecimus , ut facile intelligant lectores , qua ratione in ætatis flore tantam famam collegerit Morgagnius , ut ſatis ſuperque nominis immortalitati mature conſultum ab eo eſſe videretur . Tali modo Bononiæ confecto ſtudiorum curriculo , Venetias , & Patavium venit ad cognoſcendos doctos homines . Qua profectione magnum accepit vulnus Academia . Vix enim ferre poſſe videbatur abſentiam illius , qui ipſam præ ceteris exemplo , & legibus , inſtitutiſque quaſi parens , & conditor formaverat . Patavii Morgagnius magnam junxit amicitiam cum Dominico Guglielminio , Venetiis cum Joanne Polenio , & Joanne Hieronymo Zanichellio , aliiſque multis , quos ſibi mores , & optimarum artium , ac litterarum ſtudia commendabant . Ibi quoad fuit [non diutius autem quam triginta circiter menſibus

fuit]

fuit] aſſidue aut in diſſectionibus majorum præſertim piſcium, aut in re Chymica, aut in Pharmaceutica diligentius cognoscenda, aut in phyſicis & anatomicis experimentis, aut denique in ſelectorum librorum, quos ſtudioſe comparabat, lectione verſatus eſt. His tot inſtructus adjumentis, tum demum venit ad Medicinam faciendam; hancque in Patria exercuit ea felicitate, quæ obſervationibus, dum Bononiæ degebat, ad ægrotantium lectulos jugiter, ac ſolerter habitis reſponderet. Vel antea quidem cum relaxandi paulliſper animi cauſſa domum ſeceſſiſſet adoleſcentulus, ea de ipſo opinio fuerat ſuorum civium, ut ad ampliſſimi in civitate viri abditum, graviſſimumque morbum dignoſcendum, &, ſi fieri poſſet, ex aliqua ſaltem parte levandum advocaretur; quorum utrumque egregie præſtitit. Nunc vero reverſus in patriam, ibique permanens, dici non poteſt quanto in pretio apud omnes fuerit; & certe ægrotatio paullo difficilior accidebat nulla, quin a ſenioribus ipſis Medicis ſibi ſocius optaretur Morgagnius; adeo attentus erat in obſervando, cautus in prædicendo,

cendo, felix in curando. Quæ cum ſine aſſidua animi contentione, & corporis fatigatione eſſe non poſſent, intelligere primum cœpit, ſi ſic porro pergeret, non diutius ſe eſſe victurum; mox ut erat, ſiquis alius, tum otii inimicus, tum Anatomes amator, in memoriam rediit oblatam ſibi, cum Patavii eſſet, a Guglielminio fuiſſe occaſionem ibi permanendi, eamque facultatem excolendi, & poſtea fortaſſe etiam docendi, ſi ex ejus Gymnaſii ſcholis una placeret, quam tunc qui regeret querebatur. Quæ amiſſa eſt eo tempore occaſio opportunius rediit, mortuo Guglielminio. Cum enim in hujus locum traducendus eſſet immortalis vir Antonius Valliſnerius, quæſitum eſt de Morgagnio, an Valliſnerii ſcholam regendam ſuſcepturus eſſet? Quærentibus cum ob eas, quas diximus, cauſſas non gravate annuiſſet, ab Senatu Veneto iiſdem honeſtiſſimis conditionibus, quibus docebat Valliſnerius ſub finem anni MDCCXI. ad tradendam theoricam Medicinam eſt vocatus. Itaque non toto triennio in Patria exacto, Patavium conceſſit. Ipſe eo die [is fuit XVI. Kal. Apriles an. MDCCXII.]

MDCCXII.] quo primum ſuggeſtum conſcendit, in magna doctiſſimorum hominum frequentia Latinam habuit orationem, qua formam expreſſit, ſeu potius adumbravit, quarumdam Medicarum inſtitutionum, quas animo conceperat. Sicuti enim Cicero, & Quintilianus Oratorem omni ex parte perfectum inſtituunt, ſic Morgagnius talem informare Medicum volebat, cui nihil deeſſet, omneſque, ut ajunt, numeros haberet. Itaque tripartita oratione propoſuit, quæ partes eſſe debeant illius, qui ad perfectam Medicinæ laudem aſpirat, antequam Medico præceptori tradatur, poſtquam erit traditus, & ex quo eidem ægrotantes tradentur. Non hic Morgagnio communia & contrita præcepta exponere erat in animo, ſed ea perſequi, quæ ipſe per ſe, divino quo erat ingenio præditus, & inuſitato quodam mentis acumine viderat, atque didicerat, ut non ſatis dolere poſſimus, opus, cujus adumbrata lineamenta perſpicimus, non fuiſſe ab eodem perfectum. Sed hoc illi ignoſcatur volo propter infinitas, quibus omni tempore, ſed hoc præſertim, diſtentus eſt occupationes.

Ete-

Etenim ei multum erat , & laboris & temporis in erudiendis Medicinæ ſtudioſis , quod ea ratione præſtabat , ut docte , erudite , ordinate , diſtincte , Latine , atque etiam ornate omnia explicaret . Petierat ab eo Lanciſius , quocum magnam contraxerat amicitiam , ut diligenter deſcriberet quænam in triginta octo anatomicis tabulis Bartholomæi Euſtachii per hos dies repertis agnoſceret quæ propria , & peculiaria inventa ejusdem Euſtachii dici deberent , fuerint licet ab aliis poſt ipſum prodita . Qua quidem in re ſic amici poſtulationi brevi octo dierum ſpatio ſatisfecit , ut laudem ab eo reportaverit hominis in Anatomes hiſtoria omnium peritiſſimi . Sed præſertim petentibus non ſolum , ſed etiam flagitantibus amicis , qui hoc magni intereſſe dicebant ad decus ejus , in quo docebat Gymnaſii , ſtudium & curam contulit , ut defenderet *Adverſaria* ſua *Anatomica* contra Animadverſiones , quas in illa fecerat Joannes Baptiſta Blancus , & Jacobus Mangetus ſuum in *Theatrum Anatomicum* retulerat . Grave , ac moleſtum fuit homini a contentionibus alieno ,

ac

ac leni mitique animo, in illud ſe adductum eſſe diſcrimen, ut naturam atque ingenium ſuum deſereret. Et quidem non defenſoris modo, ſed acris etiam accuſatoris perſonam ſuſtinuit in iis quinque *Adverſariis*, quæ intra biennium in vulgus edidit. Quæ accuſatio cum in eo maxime verſetur, ut coarguat, atque corrigat plurimos, ac graviſſimos errores, quibus fœdantur multorum Anatomicorum ſcripta, queis locus datus eſt in hoc *Theatro*, ac præſertim Verheyenii, & Blanci, illud conſecutus eſt Morgagnius, ut hæc *Adverſaria* non ſolum utilia, ſed etiam neceſſaria ſint rei anatomicæ ſtudioſis, qui eodem *Theatro* uti deſiderant. Iis vero, qui aliquam cupiditatem habent noſcendi novas obſervationes, animadverſioneſque ad Anatomen quidem præcipue, ſed ſubinde etiam ad Chirurgiam, ac Medicinam ſpectantes, nihil dulcius eſſe poteſt iisdem *Adverſariis*, quæ in hoc rerum genere mirum in modum abundant. Non eſt autem credibile quam multa Auctor diſſecare debuerit cadavera ad confirmandas a ſe propoſitas obſervationes; nec me-

mediocrem quoque in eo diligentiam adhibuit, ut operi adjungerentur Tabulæ anatomicæ affabre inſculptæ, qua in re uſus eſt præſertim opera Michaelis Angeli Cavazzonii, Joannis Baptiſtæ Cromerii, & Franciſci Mariæ Franciæ. Ceterum, vix *ſecundis*, *tertiiſque Adverſariis* inſpectis, tæduit Blancum, vehementerque pœnituit, quod Morgagnium offendiſſet; pro qua offenſione illi ſe ſatisfacturum Lanciſio per litteras ſignificavit. Accepit ſatisfactionem Morgagnius, & ſignum mitigati animi erga illum dedit in *Adverſariis*, quæ mox in lucem emiſit. Egerat etiam Lanciſius de reſtituendo in gratiam Mangeto, cui oſtendit poſſe rem ad concordiam facile deduci, dummodo ille declararet, non invidia, atque obtrectatione laudis Morgagnii, cui ipſe ſemper faverit, ſe ſcripta Blanci ſuum in *Theatrum Anatomicum* intuliſſe, ſed inconſulto, atque inconſiderate id feciſſe; factumque ſuum improbare, ac deteſtari. Non dubitavit quidem Mangetus ingenue fateri Lanciſio, ſe *animadverſiones Blanci currente prælo accepiſſe, ac vix attente perlectas typis com-*

commiſiſſe . . . . . opereque jam edito deprehendiſſe in iis nonnulla , quæ delicatulis acerbiora videri poterant ; ſed adeo illum pupugerunt *ſecunda & tertia Adverſaria* , ut ea reſcripſerit , quæ reconciliationis deſperationem afferre viderentur . Verum poſtea ſentiens multorum vocibus ſe reprehendi , quod talem virum offendiſſet , neque offenſum placare ſtuduiſſet , de reconcilianda gratia cogitare cœpit . Verebatur quoque ne peccatum ſuum a Morgagnio ſeverius in aliis , quæ paraverat , *Adverſariis* puniretur . Quibus rebus factum eſt , ut ei ſe purgaverit per litteras a Joanne Fantonio ſcriptas , utens excuſatione negligentiæ , quo majoris criminis , illatæ ſcilicet injuriæ , ſuſpicionem averteret . Qua excuſatione , & amici precibus commotus Morgagnius , multa , quæ acrius ſcripſerat , oblitteravit in edendis *Adverſariis* . Sic bellum acerbum , quod inter Morgagnium , Blancum , & Mangetum exortum fuerat , ſedatum eſſe videbatur . At non multos poſt annos Blancus iterum Morgagnium ad arma compulit . Nam cum iterum typis committeret librum a ſe con-

conſcriptum de *Hiſtoria Hepatica*, in hoc non ſolum veteres refricavit controverſias, ſed novas etiam exſuſcitavit, non videns hac re plurimum violari exiſtimationem ſuam. Nam fidem Lanciſio dederat, nihil ſe unquam commiſſurum, quod hominibus ſuſpicionem ficte reconciliatæ gratiæ movere poſſet. Nec modo infidi, ſed etiam ingrati animi accuſationem timere debebat Blancus, cum eſſet Morgagnio recenti beneficio obſtrictus. Quapropter minime reprehendi debet Morgagnius, ſi quid ab eo paullo ſeverius vindicatum eſt, cum de hac inſtaurata controverſia binas ſane longas ad amicum ſcripſiſſet epiſtolas, de quibus vere dictum fuit, nihil defendere, quod non evidenter probent, nihil oppugnare, quod non plane evertant. Profecto magna habenda eſt gratia Blanco, & Mangeto, quod has epiſtolas, quæque eis ſocia damus, *Adverſaria Anatomica* a Morgagnio extorſerint, in quibus tanta doctrina, tot inventa, tanta in omni re anatomica eruditio apparet, ut idoneus certe judex Albertus Hallerus non dubitaverit pronuntiare, nihil habere Anatomen,

quod cum illis operibus conferri poſſit. Ruyſchius quoque, Boerhaavius, Heiſterus, Winslowius, Schroekius, Hoffmannus, Vaterus, Meadius, Goelickius, Waltherus, Senacus, Cockburnius, Guntzius, Mechelius, aliique (tranſalpinos teſtes adhibeo, ne qua gratiæ ſuſpicio ſit) hæc eadem opera laudibus ad cælum extulerunt, & ex iis in ſua ſcripta multa tranſtulerunt ornamenta. Atque in his libris conficiendis dum elaborabat Morgagnius, nihilo minus officia ſua præſtabat aut ſtudioſæ juventuti, quæ domum ejus, tamquam officinam ſapientiæ, frequentabat; aut amicis, qui judicium, conſiliumque ſuum ſæpe exquirebant, cum in iis, quæ ad eruditionem, tum in iis præſertim, quæ ad rem medicam, ceteraſque phyſicas facultates pertinent; aut Germanis, qui Patavii dant operam Philoſophiæ, Medicinæ, ac rerum divinarum Scientiæ, cum eorum patronus an. MDCCXV. delectus fuerit. His perſuaſit, ut ſibi ædem emerent, in qua eorum bibliotheca tutius in omne tempus ſervaretur, & conventus haberentur, in quibus illi tractare ſolent de iis rebus,

quas

quas inter ſe communes habent. Qua empta, hæc in ingreſſu iidem inſcripſerunt: *Inclyta natio Germanica DD. Artiſtarum, adjuvante liberaliſſimo Protectore Cel. viro Jo: Bapt. Morgagno P. P. P. has ſibi emit ædes &c.*. Sic cum Morgagnius magno in honore Patavii viveret, electus eſt a Senatu Veneto, ineunte Octobre memorati anni MDCCXV. ad tradendam in ejusdem civitatis Gymnaſio Anatomen. Non eſt prætereunda illius modeſtia hoc loco. Nam quamvis ſuam ingrederetur provinciam, plurimum tamen ſe vereri dicebat, quidnam pro dignitate loci, & expectatione omnium afferre poſſet, præſertim cum cogitaret Andream Veſalium, Realdum Columbum, Gabrielem Faloppium, Hieronymum Fabricium, Julium Caſſerium, Adrianum Spigelium, Joannem Veslingium, alioſque præſtantiſſimos anatomicos, qui in hac ſede fuerunt. Erat quidem inanis timor. Omnes enim jam tum in illud conſentiebant elogium, tantum illum excellere Anatome, ut nemo eſſet non ſolum ætatis ſuæ, ſed etiam de majoribus natu, qui ei anteponi poſſet. Quod judicium

non minus oratione , quam factis comprobavit Senatus. Nam cum ei ſatis amplum quingenorum aureorum ſtipendium decreviſſet, illud primum raro exemplo ad octingentos, poſtea rariſſimo ad bis millenos, ſingulari demum, atque unico ad ducentos ſupra bis millenos perduxit. Sed maximum, quod Morgagnio dari potuit præmium, fuit incredibilis clamor, & plauſus, quo ille in exedra collocatus fuit. Cujus rei cum ſtatim fama emanaſſet, magna undique ei facta eſt gratulatio; & pro ſua eximia in litteras, & litteratos homines voluntate ſummus quoque Pontifex Clemens XI. hujus diei celebritatem eidem gratulatus eſt. Quam porro Morgagnius in docendo viam ſecutus fuerit, ut magnam ſui expectationem ſuſtineret, ex his intelligi poteſt. Ab ſimilaribus, ut vocant, partibus explicandis, ſive ab Anatomes elementis docendi initium ſumebat, utens in iis ſyntetica methodo, quam omnium eſſe aptiſſimam, utiliſſimamque in hac tradenda facultate ſcite a Rojolano dictum eſt. Explicationem vero elementorum analytica ſequebatur deſcriptio compoſitarum omnium partium.

tium. Non habebat paratum quid quaque de re diceret; dicebat tamen copioſe, varie, perſpicue, eleganterque, cum haberet divinam memoriam rerum, & verborum. Magnopere ei curæ erat, ut quidquid docebat non tam auribus committeret, quam in oculis conſpectuque auditorum ſuorum, adhibita diligentiſſima præparatione, exponeret. Veniebant autem ad eum audiendum non ſolum magna ſtudioſorum adoleſcentium frequentia, ſed etiam multi ætate provecti, & doctrina ornatiſſimi viri; ac nemo fere ab illo diſcedebat, quin aliquid novi edidiciſſet. Non parum ſudare debuit Morgagnius primis hujus ſui muneris annis, ut hominem informaret ad bene, diligenterque anatomicas oſtenſiones adminiſtrandas; ſicque Joannem Baptiſtam Vulpium ad incidendorum cadaverum officium inſtituit, ut nemo fortaſſe eſſet, qui cum illo comparari poſſet. Accidit aliquando ut cum hic aniculæ cadaver aperiret, quo adſtans Morgagnius oſtenderet auditoribus ſuis ſingulorum viſcerum ſedem, etſi plus ſolito illud nequaquam male oleret, neque ullum in eodem præter implicationem inteſtinorum vi-

tium appareret, ſubitus tamen languor Morgagnium oppreſſerit, non ſecus ac ſi deliquium inſtaret. Revocatis paullulum viribus, cum uterque domum e theatro anatomico rediiſſent, ad eundem modum, eodemque tempore febri correpti fuerunt, quæ ſic Morgagnium male habuit, ut nonniſi aliquot poſt annos priſtinam valetudinem recuperare potuerit. Non propterea tamen in eo languit induſtria. Nam eodem quo antea ſtudio commodis diſcipulorum domi, in noſocomio, atque in theatro inſervivit, ac nihil unquam, ſi paucos excipias æſtivos menſes, quibus in Patria fuit, remiſit de labore, quem in anatomicis præſertim ſcriptionibus ſolitus erat impendere. Etenim, quod mireris, magna pars *Adverſariorum* in hac corporis infirmitate ab eo confecta eſt. Eodem quoque tempore amice per litteras cum Lanciſio diſputavit de genere mortis Cleopatræ, multaque in his litteris, ſane elegantibus, atque eruditis, attulit huic convenientia ſententiæ, quam ipſe tenebat, Cleopatram aſpidis morſu periiſſe adverſus eos, qui veneno ore capto ſublatam contendebant. Scripſit

& alia

& alia multa conſequentibus temporibus, quæ eum præſtantem philologum oſtendunt. Majore enim ſtudio humanioribus litteris deditus fuit, quam qui illum non adhuc bene noverant arbitrabantur; nec vero in puerili ſolum, ſed etiam in adulta, & in ſenili ætate, cum nullum putaret melius a Deo ſibi datum munus ad oblectandum otium, animumque relaxandum a graviſſimis majorum doctrinarum occupationibus. Itaque rogatu Joannis Baptiſtæ Vulpii, qui nobilem editionem parabat medicorum operum A. Cornelii Celſi, & Q. Sereni Samonici, ſub finem anni MDCCXX. & intra proximum quatuor exaravit epiſtolas, quarum tres Celſum attingunt, quarta Samonicum. In iis prioribus diligenter perſequitur ætatem, qua auctor ille floruit, ſtudia, & ſcripta ejuſdem: haud pauca ipſius loca difficilia illuſtrat, ac multa, quæ erant depravata, reſtituit: quædam indicat verba, quæ removenda [& ſane remota fuerunt] exiſtimabat a Latinis lexicis, in quibus ſub mentito Celſi nomine locum obtinuerant: indicat & alia, quæ ſunt profecto Celſi, ſed quæ in

iiſdem lexicis non facile reperias. In quarta epiſtola examinat quid præſtiterint Aſulanus, Cæſarius, Humelbergius, & Keuchenius tum in emendando, tum in illuſtrando Samonici poemate *de Medicina*, iiſque lumen [ſæpe enim magnis in tenebris verſati ſunt] de ſuo lumine accendit; qua occaſione multa in medium profert, quæ pertinent ad illius ſcriptoris vitam declarandam. Hanc epiſtolam undetriginta poſt annos ſecuta eſt altera, quæ explicat quale judicium fecerit Petrus Burmannus de priori epiſtola, & quale Morgagnius ipſe faciat de opera, quam idem Burmannus in hunc medicum ſcriptorem contulit, cum illum an. MDCCXXXI. Lugduni Batavorum edidit minores inter Poetas Latinos. Explicat etiam quid ſit id, de quo Auctor a Burmanno diſſentiat, qua diſſenſione ſane modeſta, & qualis homines doctos decet, magis magiſque Samonicus illuſtratur. Eodem ferme tempore dedit Morgagnius tribus ſuperioribus in Celſum epiſtolis quinque alias comites, ut eſſet unde ad illa, quæ notaverat de hoc auctore, ejuſque ſcriptis, corollarium adderetur, & unde plurima Celſi ſtudioſi ſumere poſſent,
qui-

quibus depravata ab Almeloveenio , & Lindenio corrigerent , & a quibus magis ad cognitionem intelligentiamque ejuſdem ſcriptoris ducerentur . Has decem epiſtolas ſcripſit Morgagnius ad Joannem Baptiſtam Vulpium ; dedicavit vero Laurentio Heiſtero , cum inter ſe , & hunc virum , propter excellentem utriuſque in Anatome doctrinam , magna intercederet amicitia . Neque is de Celſo ſolum & Samonico optime meritus eſt . Nam quatuor ſcriptis epiſtolis [id fuit annis MDCCXXI. & MDCCXXIII.] ad Jacobum Facciolatum una , reliquis ad amantiſſimum , & eruditiſſimum in primis inter tot alios diſcipulos ſuos Julium Pontaderam , his vitioſa multa , quæ ſunt in rei ruſticæ Latinis auctoribus , ac præſertim Columella , & Vegetio , emendavit , & loca nonnulla obſcura bono in lumine collocavit , omnibus oſtendens quanta afflueret eruditionis copia , quantumque in eo eſſet ingenii acumen , ac Latinæ linguæ ſcientia . Ex quo factum eſt , ut ejus ſententia ſæpe exquireretur in hoc rerum genere ab eruditis amicis , quibus ille facile poterat ſatisfacere , præſertim cum recurre-

curreret ad copiolas ſuas. Sic enim vir modeſtiſſimus appellabat theſauros illos ſuos, in quibus admirabilem vim eruditionis tum Græcæ, tum Latinæ, tum Italicæ reconditam habebat. Sunt in manibus hominum, quæ, poſtulante Joanne Polenio, quo neminem nec amiciorem, nec jucundiorem, nec cariorem habebat, ſcripſit tum ad eundem Polenium, tum ad Petrum Pluvenium e S. J. de ordinario Frontini conſulatu, id habens ratum, quod Noriſius olim judicaverat, ſcilicet anno Æræ Chriſtianæ C. Frontinum, non Frontonem, ut aliqui putabant, Trajani III. Conſulis Collegam ordinarium fuiſſe; quamquam idem Noriſius, non ſatis quidem probabilibus impulſus conjecturis ac rationibus, hanc ſuam ſententiam poſtea deſeruit pro Frontone pronuntians. Extant etiam quæ diſſeruit de Proſpero Alpino, de Philologo Ravennate, & de Angelo Bolognino; nec non ad memoratum Polenium epiſtolæ tres, quarum altera eſt de quadam particula libri IV. M. Varronis *de Lingua Latina* in veterem Frontini codicem relata, quam particulam ſic explicat

Mor-

Morgagnius, ut Romanæ antiquitatis ſe peritum oſtendat; altera eſt de Vitruvii loco, ex quo in dubium verti poteſt, utrum ſcriptor hic Auguſti ævo vixerit; tertia demum emendat, & explicat alium ejuſdem ſcriptoris locum ad rem medicam ſpectantem. Sed quam antiquitatis amator fuerit Morgagnius, & quam diligenter habuerit cognitam, ex iis præſertim intelligi poteſt epiſtolis, quas *Æmilianas* inſcripſit. Expoſuit in iis plurima ſcitu digniſſima de fluminibus Æmiliæ, atque in primis de iis, quæ propter Ravennam fluunt; ſicque perſecutus eſt monumenta nonnullarum urbium, atque oppidorum, quæ ab his fluminibus alluuntur, ut ea qui legat non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum locorum. Sed maxime ea in veritatis lucem protulit, quæ Forum Livii patriam ejus illuſtrant, notans unde, & quo tempore orta, qui fuerit ejus ſtatus & dignitas, pluribus verbis oſtendens quanto credibilius ſit Gallum Poetam, cujus de vita multa in apertum profert, ſuum civem fuiſſe, & haud pauca recenſens de Flavio Blondo, de Hieronymo Mercuriali, de Jacobo a Tur-

Digitized by Google

a Turre, aliiſque viris illuſtribus Forolivienſibus. Neque ſejungere debemus ab operibus, quæ Morgagnius manſuetioribus muſis ſcripſit, vitas Dominici Guglielminii, & Antonii Mariæ Valſalvæ, quibus non modo laudem diligentis, elegantiſque ſcriptoris reportavit, ſed etiam hominis benevolentiſſimi. Quos enim vivos omni officio, ac potius pietate coluerat, mortuos monumentis litterarum ornare voluit. Sed præſertim lumen ingenii ſui, gratumque, ac pium animum oſtendit in iis, quæ de Valſalva ſcripſit. Eo enim præceptore, ut initio docuimus, uſus fuerat. Itaque non ſolum fecit, ut ejus vita pleniſſima eſſet illarum rerum, quæ ad illam declarandam pertinerent, ſed etiam duodeviginti exaravit epiſtolas, quæ mirabiliter ejuſdem viri opera illuſtrant. Harum epiſtolarum undecim attingunt *Tractatum de aure humana*, reliquæ *Diſſertationes*. In iis vero ſic omnia perſcripta ſunt de obſervationibus, animadverſionibuſque habitis ab ipſo Valſalva, Morgagnio, aliiſque doctis viris, quibus aut exornantur, aut confirmantur, aut corriguntur res, quæ in memoratis Valſalvæ

ſalvæ operibus continentur, ut nihil non appareat, & facile exiſtimari poſſit ſingulari ſtudio, atque intelligentia fuiſſe Morgagnium in omni re Anatomica. In hoc quoque magnopere is laudandus eſt, quod non ſe tenuit, quin aliquando contra ſuum Doctorem (quamquam ſemper aliquam, & quidem probabilem, dedit errato illius excuſationem) diſſenſerit. Videbat enim homini in inquiſitione veri unice occupato nihil tam eſſe adverſarium, quam ad alicujus, quamvis ſapientiſſimi, auctoritatem ita ſe conferre, ut integra non eſſet judicandi poteſtas. Quapropter minime eſt mirandum, ſi nunquam gravate tulit, quod aliquis ſententiam probaverit, quam ipſe non ſequeretur; & ſi in omni diſſenſione non vincere maluit, quam vinci, dummodo verum inveniretur. Qui autem ſcire cupiat, quantum illi laboris, ac temporis poſitum fuerit in perlegendis, conferendis, ſeligendiſque Valſalvæ chartis, quarum magnum numerum ille reliquerat, quantum in volutandis omnibus pene alicujus nominis anatomicorum libris, ut ex eorum fontibus hauriret, quæ aliqua ratio-

ratione poſſent illuſtrare res , de quibus aut egerat, aut commemoraverat Valſalva, quantum in obſervationibus habendis, cum ſoleret ex Anatome proferre nihil, quod non propriis oculis, ac ſæpius perſpectum habuiſſet, quantum denique in omni re propoſita diligenter perpendenda, exponendiſque judiciis ſuis, legat ea, quæ idem præfatus eſt de his anatomicis epiſtolis. Præter has ſcripſit etiam epiſtolam ad amiciſſimum ſuum Franciſcum Mariam Zanottum, quæ epitomen complectitur trium, quas Valſalva in Bononienſi *Inſtituti Scientiarum* Academia habuerat Diſſertationum, eaque legitur primo in volumine commentariorum ejuſdem Academiæ. Editis jam his epiſtolis, cum Morgagnius colligendi ſui, vitandique æſtivi caloris cauſſa rus ſe contuliſſet, veniſſetque eodem egregiæ indolis adoleſcens, & cum aliis ſtudiis, tum præſertim Medicinæ deditiſſimus, multum inter ſe collocuti ſunt de rebus ad illam facultatem pertinentibus. Quo quidem in ſermone multa præclara a Morgagnio commemorata ſunt de vera medendi ratione, deque ſua non modo, ſed etiam Præcepto-

ceptorum ſuorum Valſalvæ, & Albertini hac in re conſuetudine. Quæ inter cum caſu mentio incidiſſet operis Theophili Bonetti, quod inſcribitur *Sepulchretum*, quodque continet diſſectiones eorum, quos morbi de medio abſtulerunt, plurimis ex auctoribus collectas, rogatus eſt ut aperiret, quodnam eſſet de hoc opere judicium ſuum. Affirmavit ille opus quidem utilitate maximum ſuſcepiſſe Bonettum, ſed non ſatis diligentiæ ad illud conficiendum contuliſſe: quapropter eum præclare acturum, qui hoc ſibi ſumeret, ut multa, quæ in illo deficiunt, ſuppleret, non pauca redundantia reſecaret, & accuratius, atque exquiſitius ſeligeret, ac referret obſervationes, quæ ad ſingulos morbos pertinerent, notans quid certum, quid incertum, & ſi quid minus recte a Scriptoribus eſſet expoſitum. Tum adoleſcens: non ſum, inquit, neſcius, te aliquid ſimile cogitaſſe, & in commentariolo de Valſalvæ vita promiſiſſe te facturum, ut ejus plurimæ huc ſpectantes obſervationes in lucem prodirent. Quid igitur differs rem dignam uſu, & iſta ſingulari doctrina tua? Facile ſe exorari

ſivit

ſivit Morgagnius , credo , quod videbat ſe in ſuo regno verſari debere . Itaque vix Patavium rediit, cum ſtudium ſuum ad hanc rem admovit ; confectiſque aliquot Latinis epiſtolis , has ad amicum miſit . Ex hoc autem cognoſci potuit quam placuerint , quod ille non prius rogare deſtitit Morgagnium , ut his epiſtolis alias comites daret, quam ſeptuaginta obtinuerit ; quodque eaſdem Auctori, ut recenſere poſſet , petenti , non antea remiſerit , quam idem Auctor ſancte pollicitus eſſet, nihil ſe eſſe detracturum , ac brevi eas editurum . Quod & fecit . Inſcribitur opus *de ſedibus & cauſis morborum per Anatomen indagatis*, idque in libros quinque dividitur, quorum in priori agitur de morbis capitis, in ſecundo de morbis thoracis , in tertio de morbis ventris , in quarto de morbis ad Chirurgiam , aut ad univerſum corpus ſpectantibus , in quinto autem ea comprehenduntur , quæ ad ſingulos quatuor priores libros addenda videbantur . Multas ex veterum , & recentiorum ſcriptis huc ſpectantes collegerat Morgagnius obſervationes , multas ipſe a Valſalva acceperat ,

perat , multo plures in hujus ineditis ſcriptis notatas repererat , plurimas vero per ſe infinito ſtudio , ac diligentia totis ſexaginta annis habuerat , eaſque omnes in hujus operis confectionem contulit . Quod ego opus ſi cum ſummo medico Jacobo Bartholomæo Beccario ampliſſimum interioris medicæ doctrinæ theſaurum appellem , minus quam debeam prædicem . Vere enim mihi videor poſſe contendere , illud unum omnium medicorum bibliothecas ſuperare , ſi quis noſcere velit , quibus in corporis partibus morbi ſedem ac domicilium habeant , quæque ſint horum morborum cauſſæ , ac notæ ; quæ quidem cognitio tantæ utilitatis eſt in medicina facienda , ut non videam quo alio modo hæc facultas poſſit habere quaſdam errare in medendo non patientes vias . Unde illud apud Ciceronem tertio in libro Tuſculanarum Quæſtionum : *Medici cauſſa morbi inventa , curationem eſſe inventam putant* . Satis de hoc immortali opere dictum erit , ſi hoc unum addam , quatuor annorum ſpatio ter illud , quamvis non mole exiguum , typis impreſſum fuiſſe , quod eſt in-

dicium quam magno plauſu Medicinæ cultores idem exceperint, quantaque inde facta fuerit acceſſio ad Morgagnii gloriam, ſi tamen hæc augeri potuit. Jam enim maximi viri uno ore conſenſerant, penes illum principatum Anatomes eſſe, e quibus nominaſſe ſufficiat Joannem Albertum Korffum, Joannem Bernoullium, Fridericum Ruiſchium, Joannem Saltzmannum, Laurentium Heiſterum, atque Petrum Senacum. Hæc propria Morgagnii: illa vero cum paucis communia, quod celeberrimæ Europæ Academiæ, quæ ad excolendas reconditiores doctrinas ſunt inſtitutæ, Germanica Naturæ Curioſiorum, Londinenſis, Pariſienſis, Petropolitana, & Berolinenſis illum ſuum fecerint eo tempore, quo illi minime in mentem venerat tale quicquam non dicam petere, ſed ne ſuſpicari quidem. Quem honorem alio quoque auxerunt. Nam ſæpe ei præconium ſuis in Actis impertivere hominis in primis docti. Cum tanto eſſet Morgagnius in pretio apud externos homines, fieri non poterat, ut illum minoris facerent Itali ſui. Itaque nulla apud hos extat alicujus nominis

minis

Digitized by Google

minis Academia, in quam ille honorificentiſſimis decretis cooptatus non fuerit, nullum floret Gymnaſium, quod ejus ſcriptis maximam non tribuat in rebus phyſicis auctoritatem, iiſque plurimum non utatur in erudiendis harum rerum ſtudioſis adoleſcentibus; nulla inter hos exorta eſt aut controverſia, aut dubitatio de re anatomica, de qua idem, tanquam oraculum, haud fuerit conſultus. Multa ſunt illuſtria facta ejus Patriæ, ut oſtenderet de tanto cive ſe maxime gloriari. In primis quod in publicis Ædibus marmoream ejuſdem effigiem ſane ſimilem poſuit, hoc circum eam ſcripto epigrammate.

Hic eſt ut perhibent doctorum corda virorum
Primus in humani corporis hiſtoria.

Infra autem hæc exculpta eſt inſcriptio.

JO: BAPT. MORGAGNO NOB. FOROL.
PATRIA
INVENTIS LIBRISQ. EIUS PROBATISSIMIS
UBICUNQ. GENTIUM ILLUSTRATA
DECREVIT A. D. MDCCLXIII.
PONENDAM IN CELEBERRIMO HOC LOCO
MARMOREAM EFFIGIEM
ADHUC VIVENTIS.

 Quan-

Quanta autem dignitate viveret Patavii, hæc ſunt indicia. Ejus ſchola, ac domus floruit ſemper nobilitate, ac frequentia diſcipulorum, nec unquam prælectiones, oſtenſioneſve habuit anatomicas, quin magnus ad eum omnium ordinum, omniumque ætatum fieret concurſus. Nemo mediocriter eruditus in hanc civitatem veniebat, qui Morgagnium videre, adire, alloqui prætermitteret; nemo vero ab ipſo unquam diſceſſit, qui non parem ejus humanitati ac doctrinæ laudem tribuendam eſſe judicaverit. Quanquam autem, ut ſupra demonſtratum eſt, illud ei a Veneto Senatu pro munere docendi decretum fuit ſtipendium, quod nemini unquam, non propterea tamen timere debuit reliquorum Præceptorum aut offenſionem, aut invidiam, cum inter hos nullus eſſet, qui ejus gloriæ plurimum non faveret. Quintum Præſes Collegii Veneti Gymnaſtici fuit, quæ poteſtas, quanquam legibus cautum ſit, ne ultra triennium duret, ſemel tamen ei ad ſeptennium prorogata eſt. Jure igitur is dicebat ſe in ſummi beneficii loco ponere, quod in ea civitate natus eſſet, a qua,
quæ

quæ dari maxima poterant, accepiſſet ornamenta, quodque docendi cauſſa in eam ſe contuliſſet civitatem, quæ cum humanitate, & doctrina præſtaret omnes, ſic ei erat carus, ut non magnopere Patriam deſideraret. Ex quo factum eſt, ut licet magnis præmiis invitatus fuiſſet ad docendum in aliis, iiſque celeberrimis, tum intra, tum extra Italiam Gymnaſiis, ire ſemper recuſaverit. Hoc quoque ad tanti viri laudem illuſtre fuit, quod Laurentius Heiſterus, Georgius Daniel Coſchowitzius, Albertus Hallerus, e noſtratibus vero Joſephus Antonius Pujatus, Franciſcus Maria Zanottus, Jo: Verardus Zevianus, aliique maximæ doctrinæ homines quoſdam e multis, quos fecerunt, libris, ejus nuncuparunt nomini. In tanta celebritate famæ Principibus quoque viris minime placere non poterat Morgagnius; quam quidem non ultimam eſſe laudum vere ab Horatio dictum eſt. Itaque magnam aſſecutus eſt gratiam Caroli Ruzzinii, Aloyſii Piſanii, Petri Grimanii, Franciſci Lauretani, Marci Foſcarinii, & Aloyſii Mocenici, qui omnes ſummum locum in Venetorum

torum Republica tenuerunt. Foſcarinius autem ſummis etiam laudibus celebravit Morgagnium in eo, quod edidit, opere *de Veneta Litteratura*. Carolus VI. Auguſtus de re quadam medica per litteras ab archiatro ſuo Garellio ſcriptas illum conſuluit; cumque aliquando ejus exercitus in Æmilia hyemaret, Ducibus præcepit, darent operam, ne quis domui, familiæque Morgagnii moleſtus eſſet. Fecit hoc idem Carolus Emanuel III. Sardiniæ Rex; iſque cum ſemel & iterum per Forum Livii iter habuiſſet eo tempore, quo ibi feriatus commorabatur Morgagnius, hunc humaniſſime excepit, & ad plures horas cum eo collocutus eſt. A Summis Pontificibus Clemente XI. Benedicto XIV. & Clemente XIII. magnas tulit exiſtimationis, ac voluntatis ſignificationes; ac jure in eo præſertim gloriabatur, quod Benedictus ſuo in opere *de Beatificatione Servorum Dei* teſtimonium tribuerit ampliſſimum illius doctrinæ; quodque Clemens XIII. litteras ad eum dederit honorificentiſſimas, humaniſſimaſque, quibus ſignificabat pergratum ſibi fuiſſe munus illius operum,

rum, quibuſque ei non tam vim doctrinæ admirabilem, quam pietatem in Deum, ceteraſque virtutes gratulabatur. Quod teſtimonium graviſſimum reputari debet, quia a ſummæ dignitatis Principe proficiſcebatur, cui notiſſima erat vita Morgagnii. Quo enim tempore ſacris Patavinis ſanctiſſime præfuit, ejus ſæpe conſilio in curanda valetudine uſus eſt, eidemque ſuas ſemper patere voluit Ædes. Ego quoque aliquando ea prædicari audivi ab eodem Summo Pontifice de Morgagnii doctrina, modeſtia, comitate, humanitate, in Deum hominesque caritate, in amicos fide, in ſuos ſtudio ac diligentia, ut nihil glorioſius, ac magnificentius prædicari potuerit; addiditque, illud non mediocre eſſe veræ laudis argumentum, quod is nunquam timere debuit hominum invidiam. Cum plurimum auctoritate, & gratia valeret, non illas ad utilitatem ſuam, ſed ad aliorum, ac præſertim amicorum commodum, ac præſidium libentiſſime conferebat. Atque in beneficiis tribuendis ſe illa nolle fœnerari oſtendebat, cum tamdiu meminiſſet, quoad ille gratus erat, qui acceperat: percepta vero a

ſe immortali retinebat memoria ; quod ſæpe declaravit , & maxime in homine , cujus ope e periculo vitæ ereptus eſt , quod ob lapſum in canalem quemdam , ut initio narravimus , ſubiit in pueritia . Hujus enim egeſtatem ſuis ſumptibus ſuſtentavit , mortem deflevit , memoriam grata recordatione proſecutus eſt . Multum ſemper vigilavit ac laboravit ; & provinciam docendi ad extremam uſque ſenectutem ita ſuſtinuit, ut de ſe prædicare potuerit illud Virgilianum :

.... Nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi , mutatque vigorem .

Vixit ad aliorum utilitatem ; & magnam ſe Deo habere gratiam dicebat , quod ſiverit ſe in ea præſertim ſcientia elaborare , quæ hominibus plurimum prodeſſet , & quæ ad ipſius Dei cognitionem una omnium maxime duceret . Nihil in eo fictum , & ſimulatum unquam apparuit . Ut autem erat decori amantiſſimus , æqualitatem univerſæ vitæ , ſingularumque actionum mirabiliter ſervavit . Quemadmodum in vita , ſic in medicina quæ eſſent ſimplicia amavit ; & qui ſæpe ceteros venæ ſectione

ctione curavit, nunquam tamen hoc remedii genus ſibi adhiberi paſſus eſt, credo quod naturaliter illud horreret. Conſuevit etiam in quibuſdam capitis morbis ſanguinem ex occipitio mittere, cujus curationis, quæ jamdiu fieri deſierat, tamquam reſtitutor ab Hofmanno, Walterio, aliiſque merito laudatur. Duxit uxorem Paullam Vergeriam civem ſuam, nobili genere natam, cum qua vixit conjunctiſſime, & ex qua quindecim ſuſcepit liberos. Inter hos tres virilis ſexus fuerunt, quorum natu maximus matrimonio ſeſe junxit cum nobili femina Maria Serughia. Deceſſit autem an. MDCCLXVI. patri relinquens non ſolum peracerbum ſui deſiderium, ſed etiam nepotum curam, quam mira alacritate, & providentia ſuſtinuit. Filiorum alter mortem obivit in pueritia, alter Societati Jesu nomen dedit. Filiarum vero quatuor occiderunt in cunis, reliquæ ſe ſe Deo virgines voverunt. Fuit Morgagnius ſtatura magna, & venuſta figura, hilari & læto vultu, fulvis capillis, oculis cæruleis, & ad ſummam ſenectutem uſus eſt ſenſibus, & valetudine optima. Ad

hanc

hanc autem conſervandam plurimum conduxiſſe putavit, quod ſimplici victu, veſtituque ſemper delectatus eſt; quod non facile tempus variaverit ſumendi cibum, dormiendique; quodque ſibi ab intemperie cæli caverit. Hactenus Morgagnio vivo edita a nobis ſunt, ex quibus intelligi poſſe puto, fuiſſe hominem excellenti virtute, & doctrina, nec mediocrem per eum factam fuiſſe acceſſionem Italiæ gloriæ.

Opera Edita.

Opera omnia Morgagnii in quinque Tomos in fol. diviſa Baſſani edi curavit an. 1765. Antonius Larber ejuſdem Morgagnii diſcipulus. Nos in iis recenſendis ordinem ſervabimus, in quem Auctor eadem maluit eſſe diſpoſita.

Tom. I. *ADVERSARIA ANATOMICA OMNIA*. Horum *Prima* edita ſunt Bononiæ 1706. typis Pilarri in 4. magno, poſtea Lugduni Batavorum 1714. apud Wishoff in 8., & Patavii 1719. apud Cominum in 4., & Lugduni Batavorum 1723. apud Langerak in 4., & rurſus apud eumdem 1741. in 4. *Altera* & *Tertia* impreſſa fuere Patavii apud Cominum 1717. in 4. & Lugduni Batavorum apud Langerak 1723., & rurſus 1741. in 4. *Quarta* denique, *Quinta*, & *Sexta* impreſſa fuere Patavii 1719. apud Cominum in 4. & Lugduni Batavorum 1723. apud Langerak, & rurſus 1741. in 4.

Tom. II. *EPISTOLÆ ANATOMICÆ XX.*, quarum priores duæ prodierunt Lugduni Batavorum apud

apud Joan. a Kerkhem in 4. reliquæ impreſſæ fuerunt cum Valſalvæ operibus Venetiis 1740. typis Pitteri in 4. tom. 2. & deinde 1741. apud eundem in 4. minori tom. 1.

Tom. III. & IV. *DE SEDIBUS ET CAUSIS MORBORUM PER ANATOMEN INDAGATIS Libri quinque*. An. 1761. ex Typographia Remondiniana Baſſani primum prodierunt. an. deinde 1762. recuſi fuerunt Neapoli ſumptibus Dominici Terres in 4.

Tom. V. *MISCELLANEA OPUSCULA TRES IN PARTES DIVISA*. In I. Parte continentur quæ ad rem medicam, & Anatomicam ſpectant, eaque ſunt.

—— *Nova Inſtitutionum Medicarum Idea* Patavii edita apud Coronam in 4. magno; & Lugduni Batavorum apud Langerak in 4. 1740., & cum Adverſariis conjuncta 1741.

—— *De via atque ordine in tradenda publice Medicina atque Anatome Epiſtola ad Antonium Larber Archiatrum Baſſanenſem*.

—— *Proemia quædam Anatomicarum Prælectionum*.

—— *De Anatomicis Euſtachii Tabulis Epiſtola ad Joannem Mariam Lanciſium*. Edita hæc epiſtola a Lanciſio fuit cum iiſdem Tabulis Euſtachianis Romæ 1714. apud Gonzagam, & Genevæ 1717. cum Theatro Anatomico Mangeti apud Cramer & Perachon; & rurſus Romæ 1728. ſumptibus Pagliarinorum, in fol.

—— *De Glandulis Epiſtola ad Petrum Antonium Michelottum*. Edita ab hoc fuit in ſuo *de ſeparatione Fluidorum libro*: Venetiis 1721. apud Pinellos in 4.

—— *De Lacrymalibus ductibus, eorumque obſtructione* epiſtola ad Dominicum Anelium, qui illam edidit in libro, cui titulus: *Suite de la novelle methode de guerir les fiſtules &c.*: Taurini 1714. apud Maireſſe in 4.

—— De

—— *De Lumbricis epiſtola ad Antonium Valliſnerium*; a quo edita fuit in ſuo libro, qui inſcribitur: *Conſiderazioni intorno alla generazione de' vermi*: Patavii 1711. typis Seminarii in 4. & recuſa inter illius opera: Venetiis 1733. apud Coletum in fol.

—— *De acu intra veſicam intruſa, & de excreſcentia membranæ adipoſæ epiſtola ad Lucam Schrockium*: habetur *in Centuria V. Ephemeridum Cæſareæ N. C. Academiæ*: Norimbergæ 1717. typis Heinii.

—— *De Calculis Felleis Epiſtola ad eundem*, eaque relata eſt in II. Volumen Actorum ejuſdem Academiæ. Ibid. 1730. typis Adelbulneri.

—— *De venæ cavæ varicibus epiſtola ad Antonium Cæleſtinum Cocchium*, qui ei locum dedit inter ſuas epiſtolas Phyſico Medicas, Romæ 1725. apud Antonium de Rubeis in 4.

—— *De veſicæ culculis a Fratre Jacobo Beaulieu Patavii exſectis; & de caſu Corneliæ Bandiæ epiſtola ad Salvatorem Morandum*.

—— *In locum Vitruvii medicum epiſtola ad Joannem Polenium*. Extat in Exercitationibus Vitruvianis ſecundis Poleni 1739. Patavii typis Seminarii in fol.

—— *De iis quæ a Valſalva in Bononienſi Academia Inſtituti Scientiarum recitata fuerant epiſtola ad Franciſcum Mariam Zanottum*. Extat in Tom. I. Commentariorum de eodem illo Inſtituto. Bononiæ 1731. in 4.

—— *Experimenta circa Aquam Calcis vivæ*. Habentur in citat. volumine.

—— *Reſponſum medico-legale circa obſtetricum judicium de mulieris virginitate*. Romæ 1739. typis Rev. Cam. Apoſtol. in 4

—— *Reſponſum medico-legale alterum ſuper ſeminis emittendi impotentia*.

—— *Reſponſum medico-legale tertium, an poſt ſeptem a conceptione menſes infans naſci poſſit vitalis & perfectus?*

—— In

—— *In A. Corn. Celſum, & Q. Serenum Samonicum epiſtolæ X.* Harum primæ quatuor Patavii prodierunt 1721. apud Cominum in 8., & Hagæ Comitum 1724. apud Alberts in 4., & rurſus apud Cominum cum Celſo 1722.: omnes autem tum ſolæ, tum ſimul cum Celſo apud eundem Cominum 1750.

In II. Parte continentur quæ ad Philologiam pertinent, eaque ſunt.

—— *De Proſpero Alpino epiſtolæ duæ ad Hieronymum Davidem Gaubium.*

—— *De Philologo Ravennate, & de Angelo Bolognino Epiſtola ad Joannem Aſtruc*, a quo edita fuerat in Tom. II editionis ſecundæ ſuorum de morbis venereis librorum. Pariſiis 1740. in 4.

—— *De vita & ſcriptis Dominici Guglielmini commentariolum.* Extat in Centuria IV. Ephemeridum Cæſaræ N. C. Academiæ Norimbergæ 1715. typis Adelbulneri, in operibus Guglielmini editis Genevæ apud Cramer & Perachon an. 1719. in 4., in Bibliotheca Scriptorum Medicorum Mangeti Genevæ apud eoſdem in fol., & in Decade I. Vitarum Italorum doctrina excellentium, qui Sæculo XVIII. floruerunt, Romæ apud Komareckium 1766. in 8.

—— *De vita & ſcriptis Antonii Mariæ Valſalvæ commentariolum* editum cum hujus operibus Venetiis 1740. & 1741. in 4., & in memorata Decade Vitarum Italorum &c.

—— *De genere mortis Cleopatræ epiſtolæ duæ ad Joannem Mariam Lanciſum*, qui eas vulgavit in appendice ad Mercati Metallothecam Vaticanam, Romæ 1719. typis Salvioni in fol.

—— *De ordinario Frontini conſulatu epiſtolæ duæ*, quarum prima eſt ad Joannem Polenum, qui eam vulgavit cum Frontino de Aquæductibus 1722. Patavii typis Seminarii in 4. altera eſt ad Petrum Pluvenium S. J.

—— *De quadam librorum M. Varronis particula,*

la, *ut legitur in veteri codice*, *Epiſtola ad Joannem Polenum*. Extat in Tom. IV. *della Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici*. *Venezia* 1730. *appreſſo Criſtoforo Zane in* 12

—— *In Vitruvii locum ad tempus*, *quo is ſcripſit*, *attinentem*, & *in alterum veteris Auctoris compendii Architecturæ epiſtola ad eundem Polenum*.

—— *Laudationes a Morgagnio habitæ olim cum Gymnaſiarchas*, *alioſve Doctoris inſignibus exornaret*.

—— *In Scriptores Rei Ruſticæ Epiſtolæ IV*. *quarum unam dedit ad Jacobum Facciolatum*, *reliquas ad Julium Pontaderam*. Editæ fuerunt Lipſiæ cum iiſdem ſcriptoribus Tom.II.1735. ſumptibus Fritſchii in 4.

In III. Parte continentur *Epiſtolæ XIV*. *Hiſtorico-Criticæ*, *Æmilianæ dictæ*, *non modo quia pleræque olim ſcriptæ fuerant in Æmilia*, *ſed* & *quia omnes ad antiquitates*, & *Geographiam attinent partis non modicæ illius Provinciæ*.

EPISTOLA ad Joannem Mariam Lanciſium de vena ſine pari. Extat in opere cui titulus: *Joannis Mariæ Lanciſii &c. de motu Cordis & aneuryſmatibus Romæ* 1745. *ex Typographia Palladis apud Fratres Pallearinos in* 4.

VICTO-

VICTORIUS FRANCISCUS STANCARIUS. *

VICTORIUS FRANCISCUS STANCARIUS Dominico Stancario, & Catharina Gornia, civibus honeſtiſſimis, anno MDCLXXVIII. die XXIX. Julij Bononiæ naſcitur. Mater ejus virum eximium Joannem Baptiſtam Gorniam fratrem habuit; qui apud Coſmum III. magnum Etruriæ Principem, mox & Ducem, multis cum eo peractis itineribus, tum Medicinæ laude præcipuum favorem obtinuit. Ex ea conjuge Dominicus non alium quam Victorium ſuſcepit; e Dorothea vero Natalia, Franciſci Natalij, celebris Philoſophi, per fratrem nepte, plures antea liberos progenuerat, quorum tres ſuperſtites habuit, Marſilium Romana in aula nunc temporis degentem, Franciſcum ſtri-

* Scripſit hanc vitam Euſtachius Manfredius, eamque præpoſuit libro, quem ipſe vulgavit, inſcripſitque: *Victorii Franciſci Stancarii Philoſophiæ Doctoris Bononienſis, & in patrio Archigymnaſio Analyticæ Lectoris Schedæ Mathematicæ poſt ejus obitum collectæ, ejuſdem obſervationes Aſtronomicæ. Bononiæ 1713. in 4.*

ſtrictioris obſervantiæ Regularem , & horum natu minimum Joannem Antonium , qui Bononienſi in Archigymnaſio Medicinam , atque Anatomen ſumma cum laude profeſſus eſt. Ejus Dorotheæ ſororem Luciam is , quem memoravi , Joannes Baptiſta Gornia poſtmodum duxit , ex qua Victorium Gorniam , nunc Medicinæ doctorem , Stancarii ſobrinum procreavit . Ceterum Victorius Stancarius prima litterarum rudimenta a Sancte Stancario patruo accepit , qui optimus in civitate liberalium artium Inſtitutor habebatur . Adoleſcens patrem cum amiſiſſet , avunculo , & patruo pridem ſublatis , primam juventutem apud Joannem Antonium fratrem exegit , quem etiam patris loco diligentiſſime coluit . Ab eo ad Lælium Triumphettum miſſus , biennium philoſophiæ operam dedit ; tum a Vincentio Andrea Guiniſio Juris civilis inſtitutiones accepit . Per eam ætatem cum Euſtachio , & Gabriele , mox & cum Heraclito Manfrediis fratribus , ſtudiorum conſuetudinem inivit , quibus cum deinceps ad extremum uſque vitæ ſuæ tempus conjunctiſſime verſatus eſt . Ab Euſtachio non tam

tam mathematicis elementis imbutus, quam ad capeſſendum hoc ſtudii genus, quo natura maxime ferebatur, incenſus, ad eam facultatem totum ſe adjecit. Euclidis libros nihil moratus, Matheſim ſuam a Trigonometria, & logarithmis exorſus eſt, ſuopte ipſe ingenio ſupplens, quæ ex proportionum doctrina, & geometricis principiis ad illorum cognitionem deſiderabantur. Ei ſtudio unum, & alterum menſem impendit; neque in alia matheſis parte condiſcenda tantum deinceps temporis poſuit. Nam optices quidem, Statices, Mechanices, atque Aſtronomiæ principia e librorum lectione deſumpſit, diſciplinas vero ipſas, quouſque illæ a veteribus ad noſtram fere ætatem promotæ fuerant, obſervatione, ac meditatione propria adeptus eſt. Itaque domi perpetuo machinas compingere, diſſolvere, pendula incitare, perſpicilla invicem componere, teleſcopia, microſcopia inſtruere, fiſtulas vitreas aqua, hydrargyro implere; tum eorum effectuum, quos obſervaret cauſſas excogitare, ut inventorum ſuorum cum aliorum inventis conſenſum experiretur. Sed cum in-

timæ Geometriæ uſum in omnes mathematicæ facultatis partes maximum intellexiſſet, ad Dominicum Gulielminum ſe contulit, ut ab eo Carteſianæ analyſis fundamenta perciperet: ſimul Gabriel Manfredius, relicto Medicinæ ſtudio cui apud Gulielminum operam dabat, totum ſe ſe ad analyſim convertit. Speciosæ logiſticæ ratione vix accepta, uterque geometricorum problematum ſolutionem adorſus eſt; atque alter alterum exquiſitis quæſtionibus cum provocaret, non mediocres in ea facultate progreſſus fecerunt. Interea Guglielmino aſtronomicas obſervationes inſtituenti Stancarius, ac Manfredii fratres operam præſtabant. Noctu Satellitum Jovialium Eclipſes, interdiu meridianas ſolis altitudines ad gnomonem maximum, qui Bononiæ in Divi Petronii Æde a Caſſino deſcriptus extat, obſervabant. Earum obſervationum Gulielmino cum Regia ſcientiarum Academia Pariſienſi conſuetudo intercedebat. Stancarius annum agens XIX. propria etiam in domo cæleſtes obſervationes moliri cœpit. Quadrantes, & ſextantes, quæ ille organa nuſquam viderat, ſibi

ſibi ipſe e ligno compegit, diligenterque diviſit, tum teleſcopiis inſtruxit; teleſcopiorum etiam perpicilla quædam elaboravit; atque ea ratione multas cum Manfrediis fratribus ſyderum diſtantias captavit. Paullò poſt Gulielminus ad Patavinum gymnaſium accerſitur. Bononiæ Euſtachius Manfredius illi ſufficitur. Stancarius in Collegium a Theodoro Poeta, Equite Bononienſi dudum inſtitutum, quo ingenui adoleſcentes, liberalibus ſtudiis operam dantes aluntur, curante Joanne Antonio fratre, recipitur. Ea res illud incommodi Stancario afferebat, quod noctu illi, obſervandorum ſyderum cauſa, prodeundi, poteſtas non fiebat. Sed tanta apud Collegii moderatores de Stancarii honeſtate opinio fuit, ut adoleſcentem ea lege abſolverint. Itaque apud Manfredios noctem traducebat, quorum in ſublimi domus parte opportunum locum nacti ſpeculam ſuam conſtituerant. Eo in loco ex anno MDCIC. ad triennium, dimiſſa lubrica diſtantiarum ratione, micrometri, & horologii automati ope cœleſtes motus explorarunt. Neque minus interea Stancarius Geometriæ, Phyſicæque ex-

colendæ vacavit; quin & Hjeminiani Rondellii, poſt Gulielminum, in mathematicis auditor fuit. Anno MDCCI. cum Gabriel Manfredius primus ille quidem in Italia (quantum conſtat) analyſim infiniteſimalem, a Leibnitzio inventam, a Bernoulliis fratribus longe promotam, excolere cœpiſſet, Stancarius idem ſtudium magna animi contentione aggreſſus eſt. Eodem fere tempore Joſeph Verzalia Cæſenas, qui Bononiæ a compluribus annis, ſtudiorum cauſſa, morabatur, utrique ſe ſe adjunxit; collatiſque invicem ſtudiis, in ea contemplatione maxime profecerunt. Gabriel ad explicandum præſertim, atque amplificandum integralem calculum ſe adiecit, quæ pars neque ſatis luculenter hactenus a ſcriptoribus tradita, & pluribus ſchedis diſſipata continebatur. Ea de re, annos XX. haud amplius natus, librum conſcripſit, cui de conſtructione æquationum differentialium titulum fecit; at paullo poſt Romam profectus, non ante annum MDCCVII. quum in patriam reverſus eſſet, opus ſuum evulgavit, eoque labente tempore Craigii Geometræ Angli ejuſdem argumenti liber prodiit,

Digitized by Google

diit, qui nunquam; quod conſtet, Bononiam importatus eſt. Stancarius, & Verzalia in traducenda ad phyſicas quæſtiones infinitorum analyſi operam præcipuam poſuerunt; neque ulla fere erat quæſtio celebris in Pariſienſi, aut Lipſienſi Ephemeride pertractata, quam non ii ſinguli peculiari ratione expedirent; quin & multa nova problemata excogitarunt, ſolveruntque, quorum aliqua poſtmodum vel in iiſdem ephemeridibus, vel alibi ab aliis propoſita ſunt. Verzalia præſertim novum, atque aliquando ſua fortaſſe in architectura utilitate commendandum, problema, in quod caſu, cum Stancario confabulando, inciderat: de conſtruenda commodiori curvedine pro fornicibus, & pontibus; celebre item, atque inſigne illud: de invenienda curva celerrimi deſcenſus, non modo pro vulgari, & pro quacumque gravitatis aſſumtione, ſolus tunc, & primus, quantum conſtat, reſolvit. Corporum recta deſcendentium vires, velocitates, tempora, ac ſpatia: figurarum omnium in fluidis ſe ſe moventium reſiſtentiæ leges; nec non navium celeritatem, cum maximam, tunc unius

cum alterius celeritate collatam, quæcumque fuerit fluidorum gravitas, ut ajunt, ſpecifica, dimenſus eſt. Vis centrifugæ leges, iiſque datis, Planetarum, aliorumve corporum ſemitas variis modis demonſtravit; vimque ipſam centralem, non modo in circulo, ſed in omnibus curvis conſiderans, eam cum vi gravitatis contulit; atque inde theorematum Hugenianorum peculiarem demonſtrationem deduxit. Corporum etiam in quocumque conoide voluentium vim centralem, velocitatem, & tempus, primus quæſivit, & detexit; unde magnum elegantium, novorumque theorematum, & problematum numerum hauſit, atque ad hujus generis inſigniorum quæſtionum generalium ſolutionem aditum ſibi facillimum aperuit; quin & virium centralium regulas in medio difformiter denſo, & juxta rationem quamlibet reſiſtente adinvenit. Quas illi meditationes ſtatim ſi evulgaſſent, haud parum Italici nominis gloriæ conſulviſſent; ſed dum ad nova intenti rem in tempus differunt, factum eſt ut primatus laudem alii interea occupaverint. Inter hæc Aloyſius Ferdinandus Comes Marſilius,

lius, Vir de optimis ſtudiis præclare meritus, propria in domo, quæ Bononiæ eſt, Aſtronomicam Speculam excitare conſtituit: phyſicis experimentis faciundis organa omne genus ſuppeditare; foſſilium, maritimorum, zoophitorum, corporumque aliorum naturalium ingentem vim, quæ inter militares expeditiones tota Germania, ac Pannonia conquiſiverat, illuc convehere: Bibliothecam, Muſæum, technicas officinas adjungere; nihil eorum omittere, quæ ad excolendam, atque amplificandam naturæ ſcientiam conducerent. Ei tractandæ, cuſtodiendæque ſuppellectili Euſtachium Manfredium præficit. Euſtachius cum fratribus, & Stancario in Ædes Marſilianas profectus, Speculæ exædificandæ, tum organis aſtronomicis curandis, cæteriſque ordinandis rebus biennium fere inſumſit. Anno MDCCIV. alioſum avocatus totius rei curam Stancario reliquit. Stancarius optatiſſimam occaſionem nactus naturalis hiſtoriæ ſtudium ad reliqua ſtudia adjecit. In eo Lælium Triumphettum, a quo in Philoſophia inſtitutus fuerat, ductorem habuit: conſummatæ doctrinæ virum, quem ille ſem-

per præcipuo honore proſecutus eſt. Habuit & ſocios Bartholomæum Beccarium, Fernandum Antonium Ghedinum, Heraclitum Manfredium, nec non Joannem Scheuchzerum Helvetum, qui a Marſilio inſpiciundi, ordinandique Muſæi cauſſa Bononiam miſſus, complures menſes in Stancarii contubernio fuit. De lapide Bononienſi, de diverſis argillarum generibus, de teſtaceis, quæ ex hoc agro magna copia effodiuntur, multa hoc tempore obſervavit, quæ ſi ſcriptis mandaſſet, eam hiſtoriæ partem haud parum illuſtrare poſſent. Abſoluto Speculæ ædificio, compoſitoque in ea murali ſemicirculo, quo ſyderum altitudines toto meridiani circuli tractu captarentur, multæ deinceps Aſtronomicæ obſervationes a Stancario & Manfrediis habitæ, Antonio etiam Leprotto, Julio Cæſare Pariſio, aliiſque Aſtronomiæ ſtudioſis opem conferentibus. Complures Luminarium, ac Satellitum eclipſes obſervatæ. Detectæ Solares maculæ. Cometa etiam anno MDCCVII. die XXV. Novembris ab Euſtachio in Capricorni aſtro animadverſus. Planetarum achronichiæ fulſiones determinatæ,

tæ , Veneris ſydus in ipſa cum Sole conjunctione in meridiano deprehenſum ; multæ denique aſtrorum poſt Lunam occultationes tam noctu , quam interdiu adnotatæ . Obſervationum commercium cum celeberrimis Aſtronomis inſtitutum , qui proprias cum Bononienſibus conferendas viciſſim impertiebantur . Roma Franciſcus Blanchinus Summi Pontificis Cubicularius , Genua Paris Marchio Salvagus , Mutina Cajetanus Fontana , Parma Achilles Beccadellius , Tiguro is , quem ſupra memoravi , cum Jacobo fratre , Scheuchzerus ; Norimberga Eimmartus , Wrzelbaurius , Mullerus ; Maſſilia Antonius Laval , Montepeſſulano Bonius , Plantada , Clapiæus ; Lutetia Caſſinus , & Caſſini nepos Maraldus , qui anno MDCCIII. Roma in Galliam revertens multa , ad practicam Aſtronomiæ partem ſpectantia , quæ in Parienſi obſervatorio uſu ipſe didicerat , cum iis perhumaniter communicavit . Earum obſervationum collatione Bononiæ Urbis geographica poſitio , quæ perperam a ſcriptoribus conſignata fuerat , longe emendata eſt . Cæterum Stancarius , exeunte anno MDCCIV. cum

cum XXVI. ætatis ageret, philoſophica laurea condecoratus eſt; quem ille honorem ut acciperet, non tam propria voluntate eſt adductus, quam ne communem opinionem contemnere videretur, quæ in ejus honoris conſecutione præcipuum ſtudiorum fructum conſtitutum putat. Eodem anno totius philoſophicæ Academiæ conſenſu eſt adlectus, ut ei in perpetuum a ſecretis eſſet. Academiam illam dudum Carolus Antonius Pizzius, Cæſar Mareſcottus, Cajetanus Scandianus, Vincentius Thomaſſinus, Dominicus Paſius, aliique philoſophiæ cultores, apud Euſtachium Manfredium inſtituerant. Exinde Jacobus Sandrius propriam in domum admiſerat, multumque ad eam amplificandam, exornandamque contulerat. Joannes Baptiſta Morgagnius Forolivienſis, eo anno Academiæ Præſes cum eſſet, illam a perpetua diſputandi ſubtilitate ad naturam ipſam obſervationibus, & experimentis inveſtigandam traduxerat; atque ut erat Euſtachio amicitia, Stancariis vero fratribus etiam contubernio conjunctiſſimus, ita utroſque in ejus conſilii partem acceperat, optimaſque ad eam leges

leges tulerat , quæ omnium ſuffragiis ſancitæ fuerant . Itaque Stancarius oblatum ſibi munus magna cum fide , ac diligentia gerere adorſus eſt . Cum Guidone Grandio, Jacobo Hermanno , Antonio Valliſnerio, Scheuchzeris fratribus , viriſque aliis doctiſſimis per epiſtolas multum agere ; ſingulorum inventa , quæcumque illi communicaſſent , ad Academiam referre, ſi quis e ſodalibus abeſſet vicem ejus gerere, Academiæ negotia omnia pene ſolus expedire. Atque ex eo tempore Academia , tum literatorum virorum Bononiæ degentium frequentia , tum exterorum adoptione maxime increvit ; neque multo poſt in ædes Marſilianas tranſlata magis in dies effloruit ; tametſi Morgagnio in patriam mox reverſo, Verzalia etiam ad viſendos , cognoſcendoſque viros doctos, & inſigniores Geometras , alpes tranſgreſſo, denique aliis Academicorum alio avocatis, magnam cladem accipere viſa eſt ; donec, Stancario e vita erepto, pene cum eo interiit. Poſtremis tamen hiſce temporibus ſpem concepimus fore aliquando , ut ad priſtinum illum ſplendorem revocetur, poſtquam a Bononienſi Se-

ſi Se-

ſi Senatu in clientalem accepta, optimumque Præſidem Franciſcum Simonium ſortita, in literarii Inſtituti, propediem Bononiæ, Marſiliana largitione, aperiendi partem immigravit. Sed ad temporum ordinem ut revertar, Stancarius eodem anno æquilibrium hydrargyri in fiſtulis, aliquid aeris continentibus, academica diſſertatione conſideravit; qua de re Jacobum Bernoullium ante eum egiſſe minime diſſimulavit, ſed ejus inventis nonnulla adjecit, quæ ad maximorum determinationem pertinent. Ineunte anno MDCCV. quæ de aquarum e vaſis effluxu, deque earum per diverſa foramina erogatione dudum invenerat, ad Academiam retulit, atque etiam in publicum edere cogitavit; ſed cum aliis occupationibus diſtineretur, atque interim reſciviſſet virum celeberrimum eiſdem erogationum regulis inquirendis operam dare, quas poſtmodum evulgare meditaretur, ſchedam, qua inventi ſumma continebatur, anulo ſuo obſignatam, filoque trajectam, Jacobo Sandrio Academiæ conſervatori cuſtodiendam tradidit, cui Schedæ Sandrius diem XXII. Januarii, quod die illi tradita

dita fuerat, propria manu adſcripſit. Quamquam ne ſic quidem efficere Stancarius potuit, ut primus ea detexiſſe videretur; eodem namque tempore problema illud a Varignonio generaliter effectum, atque in commentariis Accademiæ Pariſienſis anni MDCCIII. jam evulgatum a Verzalia accepit, qui & ipſe diverſa quadam, eaque univerſali, ac faciliori ratione quæſtionem reſolverat. De inſtrumento etiam, quo gradus dilatationis aeris in machina pneumatica diſtinguuntur, Stancarius hoc anno ſermonem fecit, cujus inſtrumenti dividendi rationem pridem adinvenerat; eamque excepit Verzaliæ methodus, pro inveniendo numero exanthlationum, quo aer intra machinam ad optatum raritatis gradum perducatur. Præterea montium, & totius aeris altitudinem, ex recepta communiter hypoteſi, qua aeris denſitates atmoſphæræ incumbentis ponderi proportionales aſſumuntur, indagavit, lineamque ad quam denſitates deſinunt logarithmicam eſſe demonſtravit, qua de re ad Joannem Scheuchzerum poſtmodum ſcripſit, modeſte profeſſus inventum hocce non ſibi, ſed Paren-

Parentio, Gallicæ Academiæ mathematico tribuendum, quanquam ipſe hæc omnia inveniſſet priuſquam in Parentii librum incideret, & ut apparet, neſcius, primum hujuſce inquiſitionis titulum Hallæjo Geometræ Anglo deberi. Mutuas etiam de hoc argumento cum Hermanno epiſtolas habuit, quod & Verzalia maxime illuſtravit; adjecit enim lineæ denſitatum inveniendæ methodum, quamcumque tandem illæ habeant ad pondus incumbentis athmoſpheræ rationem, non modo poſita aeris gravitate in quacumque altitudine, & juxta quamlibet legem variante, ſed ad punctum, quod dicitur Terræ centrum, etiam tendente; quod deinceps ad pleniorem problematis de curvatura radii ſolutionem præſtandum eſſe indicavit. De hac porro radii luminis curvedine quædam Stancarius in adverſaria retulit, quæ tamen Academiæ minime communicanda duxit, quippe quæ præſuppoſito directionum gravitatis paralleliſmo [quod ad lineam raritatum conſtruendam aſſumitur] inniterentur. Anno autem MDCCVI. cum in Pariſienſis Academiæ commentariis Saveurii Acuſticas ſpecula-

latio-

lationes perlegiſſet, ut erat, non modo ejus ſtudii curioſus, ſed fidibus etiam cantor non inelegans, doctrinam eam diligenter expendit, & in illo præſertim experimento, quo certus vibrationum aeris numerus ſingulis tonis conveniens inveſtigatur, aliquid deſideravit. Ei defectui ut occurreret, rotam machinatus eſt, certo ferreorum claviculorum, ex ea orthogonaliter prominentium numero inſtructam, quæ inter voluendum, ſonum aliquem, tametſi obſcurum, eumque, pro rotationis diverſa celeritate, diverſum, edebat. Hunc ille ſonum ita temperabat, ut alicui ex cytharæ fidibus juxta eundem tonum conſonus evaderet; numerabatque interim rotæ converſiones, quot, quanto tempore fierent, atque inde numerum ictuum colligebat, quibus unaquæque pars aeris a ferreis claviculis rotæ affixis eo tempore impelleretur. Sequenti anno de thermometris ab Amontonio recens inventis nonnulla meditatus eſt, eaque thermometra diverſæ longitudinis multa conſtruxit; ſimul rationem invenit, qua, integro machinæ effectu, fiſtulæ pars ſuperior aere vacua habe-

haberi poſſet; quemadmodum epiſtola ad Maraldum conſcripta poſtmodum declaravit; eoque artificio corrigendi, pro diverſa aeris preſſione, thermometri neceſſitas omnis effugitur. Anno autem MDCCVIII. cum in ephemeride Trevoltienſi experimenta quædam a Nugueto habita legiſſet, quæ ejus thermometri conſtruendi fundamentum evertere videbantur, ea ſingula experimenta inſtituens, diſſenſus cauſſam ab ſe repertam ad Academiam retulit. Inventum illud a Pariſienſi quoque Academia probatum, conſentientibus præſertim Hirii ſpeculationibus, & in commentariis ejus anni a Fontenellio collaudatum eſt. Interea magnus ad Stancarium juventutis concurſus fieri cœperat, quæ ad experimentalis Philoſophiæ, & naturalis hiſtoriæ ſtudium, Marſiliani Muſæi commodo, & Stancarii præſertim hortatu incitabatur. Ille omnibus tum voce, tum ſcriptis, de quo quiſq; eum conſuleret, ſatisfacere; ut vix ei toto diei ſpatio ad ſe ſe colligendum quicquam temporis ſupereſſet; rogatuſque ut nobilibus adoleſcentibus, qui a Patribus Societatis Jesu educantur, Geographiam, & mi-

& militarem Architecturam traderet, laborem non detrectavit; atque ad aſſiduam mentis exercitationem corporis quoque defatigationem adjecit. Theſes etiam eodem anno, die xv. Junii in Bononienſi Archigymnaſio propoſuit, atque defendit, quibus multa de optica, pneumatica, atque hydroſtatica re diſputavit; tum præſertim de infinitorum analyſi, cujus ille utilitatem, atque præſtantiam, tum palam in Academia, tum inter familiaria colloquia plurimum inculcabat. Hiſce laboribus, tum aſſiduo meditandi uſu debilitatus, ineunte ætate emaciari, & occulto languore confici cœpit. Simul domeſtica tuſſi, quæ tentare eum quotannis nullo detrimento aſſueverat, acrius exagitari; a nocturno etiam aere, unde alias minime lædebatur, incommodi aliquid perſentiſcere. Die x. Auguſti, cum obſervandis Plejadibus a Luna obtectis, Antonio Leprotto opitulante, noctem impendiſſet, ſputo ſanguinis repente correptus eſt; quod vehemens febris conſecuta in magnum vitæ diſcrimen eum adduxit. Paucos poſt dies, Joannis Antonii fratris ope, depulſa febri,

necdum tamen plane confirmatus, ad conſueta ſibi ſtudia rediit. Sed ſuadentibus medicis, ut nocturnis ſaltem obſervationibus abſtineret, ſimul quo ſalubriori aere uteretur, a Marſilianis ædibus in domum ab ſe conductam ſeceſſit; & cum interea Bononienſi Senatui libellum obtuliſſet, quo tradendæ publico in archigymnaſio artis analyticæ neceſſitatem demonſtrabat; Senatus, ut qui rei utilitatem intelligeret, in eam ſententiam facile adductus, Stancarium elegit, qui eo munere fungeretur: atque hæc prima ejus tituli in Italicas academias invectio eſt. Stancarius, tametſi vergente in deterius valetudine, ſub finem Novembris publicam ejus ſtudii prælectionem habuit, qua infiniteſimalem calculum, tanquam ſummum in mathematicis diſciplinis compendium, diſerte collaudavit, atque ex eo tempore juventuti analyſim tradere cœpit. Verum initio anni MDCCIX. quæ hyems maxime fœda nivibus, & frigore horrida fuit, proſtratis corporis viribus, domi agere, mox etiam in lecto decumbere coactus eſt. Initio de valetudine ſua non multum diffidere; quin &
diem

diem cum amicis inter philoſophicas diſputationes traducere ; obſervationes etiam nonnullas circa thermometra , & aquarum congelationem inſtituere ; mox ut ad contractam aſſidua tuſſi raucedinem manifeſta febris , & ſanguinis , puriſque ſcreatus acceſſit , ſupremam inſtare ſibi neceſſitatem intellexit . Ea re nihil perturbatus , tametſi caſte , religioſeque vitam traducere , ſacroque ritu frequenter ſe ſe expiare conſueverat , ad componenda animæ ſuæ negotia cogitationem omnem convertit . Cum Joanne Baptiſta Regalino , Societatis Jesu mathematico celebri , cum quo multa illi conſuetudo intercedebat , maximam deinceps temporis partem piis colloquiis exegit . Nocte ea , quæ diem xxvii. Martii conſecuta eſt , gargariſmum , quo ad fauces molliendas uti ſolebat , cum aſſumſiſſet , exigua ejus portio in laryngem illapſa eſt ; quo irritamento eo uſque tuſſis invaluit , ut ſpiritum illi pene intercluſerit . Sequenti die , quæ Dominicæ Cœnæ celebritate ſolemnis erat , Chriſti corpore refectus , ad extremum ſacro oleo inunctus , placide vita migravit . Corpus ejus

in Divorum Coſmæ , & Damiani ædem illatum , atque ibi conſepultum eſt ; incredibili civitatis deſiderio , a qua magnam ſibi expectationem virtute ſua conciliaverat . Simplici fuit ingenio , ſummo animi candore , religione ſingulari , moribus incorruptis , & qui vitæ inter ſtudia traductæ ſeveritatem oris modeſtia , & ſermonis ſuavitate commendaret ; qua de cauſſa nemini mortalium offenſus , nemini infenſus fuit . Mentis autem acumine tantum valuit , ut cum Euclidem nunquam , Archimedis , & Apollonii parum , Galilæi , Carteſii , Hoſpitalii , & Newtoni capita quædam , neque ea ordine perlegiſſet , quæcumque fere in Geometria , aut Statica acutius excogitata ſunt , aut calleret , aut facile reperiret , ut eas facultates non tam didiciſſe , quam inveniſſe videretur . Non illi ad maximam ſibi gloriam comparandam ingenium , ſed vita defuit ; neque enim dubitandum quin nova , atque præclara in mathematicis diſciplinis inventurus fuerit , qui meditando in omnia prope hactenus inventa incidiſſet . Præter eos , quos Stancarii amicos , laborumve ejus ſocios

ſupra

ſupra memoravimus, Antonium Mariam Valſalvam, Petrum Nannium, Petrum Jacobum Martellium, Matthæum Bazzanum, Ferdinandum Antonium Campegium, viroſque alios litteratura inſignes plurimum dilexit, ſtudiaque ſua cum illis mutuo communicavit. Poſtremis vitæ ſuæ temporibus apud Cardinalem Philippum Gualterium Flaminiæ Legatum, Joannem Antonium Devia, tunc Arimini Epiſcopum, nunc etiam Cardinalem, Chriſtinum Martinellium Patricium Venetum, alioſque magnos litterarum fautores diverſatus, ſummam ab illis gratiam inivit; cogitabatque aſſiduis itineribus quamplurium Italiæ locorum longitudines, ac latitudines obſervare, quo emendatiorem regionis hujus geographiam haberemus; quam in rem viri illi eximii operam, ſumtuſque pollicebantur. Tractatus nullos abſolutos conſcripſit, neque enim illi perficere licuit quem unum, extremo cum morbo conflictans, de analytica arte inchoaverat. Itaque præter diſſertationes phyſicomathematicas, quas in Academia legerat, nihil aliud, quam ſolutas quaſdam chartas, & adverſario-

 rum

rum ſuorum codicem reliquit . In hunc multorum problematum ſolutiones ab ſe inventas retulerat ; præ ceteris rectificationem Cycloidis , Hyperbolæ quadraturam per Logarithmicam , lineæ ex evolutione circuli genitæ , item infinitarum Spiralium dimenſionem ; tractoriæ quaſdam proprietates , projectorum ſemitas , curvarumque aliarum conſiderationes ; præter faciliora quædam , juvenilibus annis reperta ; quæ omnia quum a Scriptoribus paſſim tradita extent , operæ pretium non duxi hac collectione complecti . Libentius Hugenianorum Theorematum de vi centrifuga demonſtrationes , ab ipſo deductas ex eodem codice attuliſſem , niſi priora tantum eorum proſecutus , reliqua omiſiſſet ; qua etiam de cauſſa meditationes ejus de curva catenaria minime abſolutas , quæ apud Antonium Leprottum repertæ ſunt , prætermittendas exiſtimavi . Ex Academicis ergo fere diſſertationibus electa ſunt quæcumque hoc volumine uno continentur ; iis exceptis , quæ de radii luminis oblique aerem trajicientis curvedine ex adverſariis , quæque de linea denſitatum aeris ex mutuis ad Herman-

marmum, & Scheuchzerum litteris deſumſi, necnon fragmento epiſtolæ ad Maraldum de thermometris conſcriptæ, cujus mihi exemplum Carolus Antonius Pizzius communicavit. Neque tamen diſſertationes Academicas omnes, ſed præcipuas tantum afferendas putavi; neque has etiam integras, ſed ut compendio conſulerem, eas tantummodo ſingularum partes, quæ ad ipſam inventi ſummam propius pertinerent. Aſtronomicæ obſervationes uſque ad annum MDCCIII. a Stancario, & fratribus Manfrediis habitæ, ex Euſtachii, aut ipſius Stancarii ſchedis excerptæ, atque huc, ne interirent, adjectæ, omiſſis iis, quæ dietim circa ſolem, in Divi Petronii Æde, ad Gnomonem Caſſinianum, ab iiſdem, ut & eorum ſociis factæ ſunt; quas omnes, juxta cum antiquioribus, a Caſſino, Mengolio, Montanario, Gulielmino, ex quo primum Gnomon deſcriptus eſt, inſtitutis, peculiari volumine collectas aliquando edere decrevi. Quæ vero in Marſiliana Specula ex anno MDCCIII. habitæ, & in annum MDCCIX. continuatæ fuerunt, multo plures ſunt, quam ut in hunc librum com-

mode referri poſſent. Erant & nonnulla experimenta phyſica, præſertim ad machinam pneumaticam a Stancario facta, quæ cum eo interierunt.

CARO-

Digitized by Google

CAROLO INNOCENTIO FRUGONIO

ANGELUS FABRONIUS S. D.

AN tandem? Inſanire tibi videor, quod in propoſito, ſuſceptaque opera permaneam ſcribendi vitas Italorum doctrina excellentium? Tum inſanirem, ſi, quod mihi publicæ utilitatis amor impoſuit, propter ignaviam, aut propter animi infirmitatem abjicerem. Scio te non hoc ſcriptionis genus improbare, ſi veritati ſerviatur. Hoc negas præſtari poſſe ab eo, qui non fuerit in intimis illius, de quo ſcribendum ſuſcepit. Hinc te optare, ut Biographos habeamus vernas, aut ſaltem quotidianos, ac domeſticos convictores, qui totam vitam, naturam, moreſque illorum, de quibus ſcire volumus, cognoverint. Pace tua dixerim, amicorum ſuaviſſime, magna nimis ab Hiſtorico requiris. Requiras diligentiam in inveniendis rebus, veritatem in exponendis, neque repugnabo ſententiæ tuæ; gloriaborque *ea me præſtitiſſe in explicandis doctorum hominum vitis, quin unquam moratus fuerim quorum-*

rumdam inſulſitatem , atque faſtidium , qui ſiquid mali offendas in iis , quorum facta hiſtoriæ mandare tibi ſumpſiſti , non redargui memoria ſcriptorum , ſed defendi volunt oblivione & ſilentio . Hi quidem ignorant eam eſſe hiſtoriæ legem , ut non ſolum ne quid falſi dicere audeamus , ſed etiam ne quid veri non audeamus ; nec intelligunt ita homines natura comparatos eſſe , ut ſua quemque vitia comitentur , eoſque perfectos eſſe , qui minimis urgentur . Sed delicatos iſtos continuis aſſentatorum depravatos blanditiis relinquamus . Quod quæram nunc illud eſt , num ita poſſit temperari ratio ſcribendæ hiſtoriæ , ut veritas , quando periculum eſt ne nimium offendat , lenitate quadam ſermonis aſperſa in animos illabatur , qua una re fieri poſſe videtur , ut neque fides , neque prudentia a Scriptore deſideretur . Sunt quidem nonnulli ita natura aſperi , ut nullam ab acerbitate ſejunctam veritatem probent ; & tum ſe beatos exiſtimant , cum habent quod omni crudelitate mordeant ac lacerent , illud prætendentes liberum eſſe debere Scriptoris judicium in hominum vitiis notandis . Sed aliter te ſentire

arbi-

arbitror, & cum iis ſtare, qui monent, videndum quos reprehendas, & quæ ea vitia ſint quæ reprehendantur. In hominem inſigniter improbum, in crudelem, in Dei, humanæque ſocietatis hoſtem ſumma adhibeatur ſeveritas; cujus ſeveritatis illuſtria exempla dedit Livius in exagitandis præſertim Tarquiniorum, & Tulliæ ſceleribus, & in Annibalis perfidia, crudelitateque reprehendenda. In eum vero qui non multa peccavit, ita jungatur ſeveritas cum miſericordia, ut ipſa notatio parum habitura ſit turpitudinis, atque offenſionis. Equidem ſemper ſum admiratus Cæſaris lenitatem, qui in exponendis iis, quæ ab hoſtibus ſuis in ſe dicebantur, atque agebantur, in neminem paullo acerbius invectus eſt, neminemque verbo graviore, aut inclementiore appellavit. Quæ ſi præſtitit Cæſar vel ipſis hoſtibus, qui inexpiabili odio in ſe ferebantur, & inter quos multi porro erant improbi, cupidi, nefarii, quanto magis præſtare nos debebimus viris doctrina, & virtutibus inſignibus? Quorum facta moreſque ſedulo dum inquirimus, non puto perſcrutanda, odorandaque minima quæque, excutiendas syngra-

graphas, tabulas, codicillos, adverſaria, quid ſit actum cum argentario, quid cum procuratore, quid cum villico, quo quis ſit medico uſus, quo atrienſi, piſtore, coquo. Nolumus enim e quiſquiliis aut laudem, aut animadverſionem eruere. Spectabimus illuſtria, humilia contemnemus, niſi ex his ſumere neceſſe ſit lineamenta & colores ad totius oris imaginem exprimendam. Quorſum hæc longior, quam putaram, oratio? Quia deeſſe amicitiæ noſtræ arbitrarer, niſi te omnium meorum conſiliorum participem facerem. Illud autem a te vehementer peto, ut inſtitutum, ac judicium meum cernere velis in vita Ludovici Sergardii, quam cum his litteris ad te mitto. Ex hac quanta diligentia fuerim in reconditioribus inveniendis rebus, quam ſincerus, & moderatus in narrandis judicato, & perpendito; intelligeſque profecto adeo me verum amaſſe, ut, quando res poſtulavit, vel ipſas faces indagare, patefacere, ac proferre non dubitaverim. Et eo quidem liberius locutus ſum, quod non putavi leniſſime agendum eſſe cum homine, qui ceteros vexare omnibus contumeliis ſolitus fuit. Equidem

dem ſæpe te audivi execrantem inſatiabilem crudelitatem, quam Sergardius in Gravinam adhibuit; prædicantemque hunc fuiſſe virum magnum in primis; pluſque ei virtutem ſuam dediſſe, quam aliorum calumniam abſtuliſſe. Profecto ſi reviviſceret Gravina, in hoc maxime gloriaretur, quod te haberet ſuarum laudum propugnatorem, defenſoremque; & ſibi quodammodo gratularetur, videns, quæ tibi olim adoleſcenti, Romæ dum eſſes, conſilia dedit ad rite excolenda humaniorum litterarum ſtudia, tam proſpere ceſſiſſe, ut jure meritoque in principibus non ſolum hujus ſæculi, ſed etiam ſuperiorum Italicis Poetis numereris. Vale.

Florentiæ Kal. Novembris MDCCLXVIII.

LUDOVICUS SERGARDIUS.

LUDOVICUS SERGARDIUS ortum habuit Senis parentibus apprime nobilibus Curtio Sergardio, & Olympia Biringuccia VI. Kal. Apriles an. a reparata ſalute MDCLX. Domi educatus non effugit immanem illam, & intollerandam barba-

Barbariem, quæ ſummo cum humaniorum litterarum detrimento in Italiam invaſerat. Id præſertim intelligi poteſt ex duabus, quas reliquit, orationibus, de Mariæ Virginis Doloribus una, altera de S. Bernardini Senenſis laudibus, quæ non modo reſperſæ ſunt, immo vero cumulatæ depravata, & vitioſa ſæculi illius conſuetudine. Picturæ præceptorem habuit Dionyſium Montorſellium, qua in arte non mediocriter fuiſſe verſatum indicant ea, quæ pinxit in ſuperiori parte majoris portæ, qua Florentia venientibus aditus eſt ad civitatem. At Piloſophiæ vel maxime ſtuduit, & in obſcuriſſimis tenebris, in quibus opera Scholaſticorum tum jacebat hæc ſcientia, lumen aliquod Sergardio prætulit Pyrrus Gabriellius vir rectiſſimis ſtudiis, & ſingulari doctrina præditus. Tali modo præparatus Ludovicus Romam venit, ut ſe exerceret in curriculo Juris prudentiæ. Tantum profecto de Jure didicit, ut potuerit cauſſas aliquas ſummo cum plauſu defendere, & privatim, & publice judicia reddere. Sed erat ſtudium aliud, quod vi ſua Ludovicum alliciebat ad ſe ſe, non emolumen-

to

to captans aliquo, ſed ſua trahens dulcedine. Hoc erat ſtudium humaniorum litterarum, ac præſertim poeſis, quod renovandum putavit, ut ex optimis fontibus purum, liquidumque hauriret, quod contractas prima in ætate fæces ablueret. *Utinam*, ſcripſit ille ad Victorem Felicem Couccium, *bonis avibus incidiſſem in ſanos præceptores, qui nullo fuco ceruſſatam virtutem, ſed ſimplicem, nudamque contemplandam oculis meis expoſuiſſent. Porro non damnarem inutili pœnitentia conſumptam in captandis muſis adoleſcentiam. Gratulor tamen quod non tam ſero ſapiunt Phryges, ut barbariem illam loquendi, quam hauſi, nec ſine laude exercui, novo culturæ genere extirpare non poſſim*. Quod quidem ei proſpere ſucceſſit. Erat enim ingenio ſummo, nec mediocri induſtria, ut nullus illi vacaret a ſcribendo, legendoque dies: quidquid vero legebat, quod ſibi videretur notatione dignum, in adverſaria referebat. Ex epiſtola quadam ſcripta Latinis verſibus ineunte an. MDCLXXXVI. ad Tiberium Proſperum, qua pulchre exagitavit ſæculi vitia, moreſque contubernalium quorum.

rumdam ſuorum , intelligi poteſt , quanta iis temporibus facta eſſet in Ludovico mutatio . Tota enim Horatiana eſt , totaque conſperſa ſententiis veris , ſine pigmentis , fucoque puerili ; ſatiſque ea oſtendit , quam eſſet Sergardius natura propenſus ad carpenda ſatyrico dente vitia . Ruſticabatur autumno ejuſdem anni in Aricio cum Chiſia familia , aliiſque nobilibus viris ; cumque ibi omnia plena eſſent hilaritatis , liberorumque jocorum , exprimendos ſuſcepit Latina ſatyra , quæ eſſet multo & acri ſale conſperſa , mores , vitæque conſuetudinem eorum , quibuſcum verſabatur . Tantum indulgentiæ tribuit voluntati maledicendi in eadem ſatyra contexenda , ut eam comburendam putaverit , timens offenſionem & odium eorum , quos male in ipſa habuerat . Cum autem celebraretur eo tempore litteratorum hominum conventus , qui in Ædibus *Propagandæ Fidei* habebatur ad excolenda ſtudia Theologiæ , Juris Pontificii , Sacræ , & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ , dedit operam Sergardius , ut in illum reciperetur . Magna quidem cum gloria ſuſtinuit provinciam aut dicendi in eo de laudibus

dibus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ , aut explanandi locos ex Theologia , & Jure Pontificio difficiles , aut referendi aliquid ex annalibus Eccleſiæ , & monumentis antiquitatis ; quibus in ſtudiis diuturnius tempus conſumpſit , quam , qui illum non bene noverant , arbitrabantur. In Theologia ſecutus eſt Auguſtinum : odit Scholaſticos & Caſuiſtas , in quos libenter , ac ſæpe invehebatur aut in ſermonibus ſuis , aut in epiſtolis , quas ad amicos ſcribebat ; vehementiuſque inſectatus eſt libello quodam , quem inſcripſit *de veterum Philoſophia* . Cum hujus libelli fama eſſet pervulgata , graviter exarſerunt potentes quidam religioſi viri , a quibus mala ſibi metuens Sergardius , compreſſit opus , conſciditque etiam fortaſſe , cum ejus nulla vestigia appareant inter Auctoris ſcripta . Quæ qui leget eum ſuſpicaturum arbitror , Sergardium ad ſeverioris Chriſtianæ diſciplinæ præcepta vitam direxiſſe ; in quo profecto vehementer erraverit . Voluptatis enim illecebris delinitus , mature ejus ſtipendia meruit ; neque negabit quiſquam , voluptate dominante , maximas virtutes jacere neceſſe eſſe . Cujus cul-

pæ illum aliquando piguiſſe oportet. Nam cum ſignificaret amico, conſtanter ſe recuſaſſe oblatum ſibi locum honorificentiſſimum in aula Medicei Principis, hæc addidit: *Nobilior cura me tangit; regnare videlicet, non ſervire aggredior: habeo domeſticam aulam in ſecreto mentis receſſu, ubi effrenæ cupiditates, ac rebelles affectus quotidie inſurgunt, dominanturque rationem; cum his mihi res erit*. Quod quidem feliciter illi eveniſſe non auſim dicere. Effictos mores, expreſſamque imaginem vitæ quotidianæ Sergardii videre licet in tabula, in qua ſe ipſum pinxit. Exhibet hæc hominem florenti ætate, decoraque facie, ſtipatum libris, non iis quidem unius generis, ſed quos diſparia ſtudia, diſpareſque mores ſequebantur. Nam cum *Romanæ Rotæ Deciſionibus* miſcentur carmina, & epiſtolæ amatoriæ, cum ſacris codicibus Martialis, & Ovidius; neque ultimo loco conſpiciuntur Cloridis armillæ, & Protogeni, Zeuxique ſacra tabella. INNOCENTIO XI. P. M. mortuo, cum eligendus eſſet, qui de more ad Cardinales verba faceret de novo creando Pontifice, hoc munus Sergardio dela-

delatum eſt, commendatione præſertim Cardinalis Petruccii, cujus in clientelam ſe dederat. Sic autem illud ipſum explevit, ut prudenter, ſententioſe, & ornate dixiſſe omnes judicaverint. ALEXANDRO VIII. ad Summum Pontificatum evecto gratiam apud eum iniit, & ad amicitiam acceſſit Cardinalis Petri Ottobonii, cui etiam a ſtudiis, *Auditorem* vocant, fuit. Ei autem ſemper fideliſſima conſilia dedit, & omnium rerum habitus eſt particeps. Cumque in homine fidem, & induſtriam magnam, eximiumque ingenium quotidie magis admiraretur Cardinalis, neminem facere pluris, pluſque diligere videbatur. Habuit eum quoque ſcriptorem Latinarum epiſtolarum, quas dare ſolebat ad viros præſertim Gallos litterarum gloria præſtantes. Qua occaſione junxit Ludovicus amicitiam cum Joanne Mabillonio, quæ ſemper culta fuit ab utriſque omni officiorum genere, ut indicant autographæ epiſtolæ ejuſdem Mabillonii, quarum octo ſupra triginta evolventi mihi Sergardii ſcripta ſe ſe obtulerunt. In iis epiſtolis multa ſunt, quæ pertinent ad eruditionem, quæque judicium faciunt de quibuſ-

 dam

dam libris, qui per illa tempora Pariſiis prodiere. Hæc autem omnia communicabat Sergardius non ſolum cum Cardinali Ottobonio, qui non mediocriter litteris tinctus erat, ſed cum ipſo etiam Summo Pontifice, quocum ſæpe ſermones bene longos habebat. Conciliatore Mabillonio amicitiam quoque inſtituit cum ſummis viris Michaele Germano, & Theodorico Ruinartio; & mandato Pontificis egit diligenter, & prudenter cum Natali Alexandro, ut errores corrigeret, quos in ſua *Eccleſiaſtica hiſtoria* diſſeminaſſe culpabatur. His, aliiſque meritis cum valeret Sergardius apud Pontificem, magna ſpe ab illo expectabat & fortunas, & honores; cumque jam ſacerdotia quædam obtinuiſſet, majora impetrandi ſpem illi præcidit mors, quam idem Pontifex xv. ſui Pontificatus menſe obivit. Juſſu Cardinalis Ottobonii laudavit ipſum funebri oratione coram Purpuratorum Patrum collegio, cujus orationis brevitas neque eloquentiæ luminibus, neque Latini ſermonis elegantia compenſatur, quod fortaſſe tribuendum eſt præcipiti celeritati, qua illam Sergardius confecit. Conſolabatur

batur autem deſiderium Pontificis uſurpatione & renovatione ſtudiorum ſuorum ; verſabaturque præſertim in Philoſophia , de hac multa communicans aut per litteras cum Pyrro Gabriellio , aut coram cum viro omni doctrina , & virtute ornatiſſimo Franciſco Blanchinio , qui erat eidem Cardinali Ottobonio a Bibliotheca. Sic cum uteretur Ottobonius familiaribus , & quotidianis convictoribus hominibus ſane doctis , auctor iis fuit , ut Academiam ſuis in ædibus conderent , quæ obſervationibus , & experimentis ſe exerceret in naturæ inveſtigatione . Et poterant facile , quod haberent in liberalitate Cardinalis , unde ſibi ſuppeditarentur ſumptus neceſſarii ; quodque Romæ non deeſſent viri ingenio præſtantes , qui in ſocietatem gloriæ vocarentur ; ſed contenti privatis exercitationibus noluerunt eas in lucem proferre , credo , quod hujuſmodi ſtudia , quæ nunc foventur in primis , multi iis temporibus inſectarentur . Antea quidem cum ſolitus fuiſſet Sergardius frequentare celeberrimum illum litteratorum hominum conventum , qui apud Juſtum Ciampinium agebatur , expoſue-

 rat

rat in eo phyſica nonnulla, quæ a Gabriellio didicerat; neque unquam quærentibus aliqua in hoc rerum genere viſus eſt defuiſſe. Ille vero cum ex his ſtudiis tantum hauſiſſet laudis, quantum eſſet ad laureolam ſatis, ea intermiſit, ut ad alia flecteret animum. Florebat tum viris doctiſſimis Arcadiæ Academia, Romæ anno MDCXCI. inſtituta ad convellendam, avertendamque inveteratam barbariem, quæ humaniores litteras, ac præſertim Poeſim fœde turpaverat. Cum adſciſci poſtulaſſet in illorum numerum Sergardius, facile id aſſecutus eſt, datumque ei nomen Liconis. Ut autem oſtenderet merito ſe tali honore dignatum eſſe, ſæpius protulit in Arcadum cætum Italica carmina multa feſtivitate, atque elegantia condita; gaudebatque ea ingenti plauſu probari ab omnibus. Quoniam autem invidia gloriæ comes eſſe ſolet, & libenter homines de iis detrahunt, quos emergere videant altius, cæperunt Gravina, cujus ſumma erat in Arcadia auctoritas, ejuſque aſſeclæ in circulis vellicare quæ condebat carmina Sergardius. Hic inſuetus reprehenſionis iniquo ferebat animo de

ſe

ſe ab iis male judicari , quorum paullo ante in cælum fuerat elatus laudibus. A quo initio occulta odia inter eos orta ſunt. Hæc autem graviora fecit acre ſane certamen, quod inter eoſdem fuit, dum cænarent apud amicum. Caleſcens Gravina cibo & potione [quanquam is vino non admodum delectaretur] quædam temere effutivit, quibus & pietatem adverſus Deum lædere, & inſolentiſſime ſe cum aliorum contemptu efferre viſus eſt. Exarſit iracundia, & ſtomacho Sergardius; nec continere potuit voces iræ & contumeliæ plenas. Poſtquam diu multumque certatum eſt verbis, res ad manus venit; &, ut ſunt Senenſes pugiles exercitati, non leviter Sergardius os & pectus Gravinæ tudit. Acuit etiam hanc pugnam zelotypia ab amore adoleſcentuli profecta. Hæc abdita in tenebris unius domus perpauci noverunt; narravitque mihi vir, qui fuit ex domeſticis, & intimis familiaribus Sergardii. Hic cupiens evomere, foraſque projicere conceptum in Gravinam odium Latinam ſcripſit ſatyram, qua crudeliter illum mordet tanquam religionis, & morum everſorem. Hoc

ſcriptum volitavit ſtatim tota Urbe, & paſſim legebatur, exſcribebaturque. Doluit profecto cruento dente laceſſitus Gravina: negabat tamen alia ulla ratione hujuſmodi eſſe carminibus reſpondendum quam neglectu, & contemptu, quod ſummorum virorum auctoritate, & exemplo confirmabat: nihil citius maledicto emitti, ſed, ſi idem in eximia, ac ſingulari dignitate viros conferretur, non modo reſtingui, ſed in eorum quoque cedere laudem. Hæc aliaque hujuſmodi jactata a Gravina ad diſſimulandum dolorem ſuum, materiem addidere furori Sergardii, qui latens ſub Q. Sectani nomine, ut impunius maledicus eſſet, non prius ſiluit, quam ſexdecim ſcriptis, editiſque ſatyris omni contumeliarum, maledictorumque genere in Philodemum, quo nomine Gravinam deſſignavit, invectus eſt. In tanta injuriæ atrocitate habuit Gravina, quo ſe non mediocriter conſolaretur. Nam Emmanuel Martinius vir ſane Græcis, & Latinis litteris doctus ad infringendos, &, ſi fieri etiam poſſet, extinguendos plauſus, qui maximi impertiebantur Q. Sectani ſatyris, animadverſiones in eas fecit,

cit, quibus oſtendere conatus eſt plura eſſe in ipſis barbara vocabula, inelegantes, incompoſitos, & ineptos dicendi modos, nec non ſyllabarum vitia; ipſum denique auctorem non in poetarum concilio, ſed in ſcurrarum grege reponendum. In quo ferendo judicio nemo profecto non videt Martinium effuſo ſuo in Gravinam amori, plus quam concedit veritas, largitum fuiſſe. Nam quamvis jure meritoque nonnulla culpaverit doctus ille vir, quæ poſtea emendata ab auctore fuerunt; & quamvis nonnulla adhuc ſuperſint in iiſdem ſatyris, quæ non plane Latina auſim dicere, attamen *trans alpes, & magnum navigat æquor gloria Sectani, cui profecto Apollo ingenium, jaculumque dedit, vireſque paratas quidlibet audendi feliciter*. Quis æquus æſtimator, & judex non admirabitur res plane remotas a Latinorum uſibus & moribus, & in quibus repræſentandis vel ipſe Juvenalis inſudaſſet, ita Latine, ita graphice deſcribi a Sectano, ut nihil venuſtius poſſit? Quis non fatebitur undique ſcatere ſalem & leporem; adeoque omnia compleri imaginibus acribus & inſignitis, ut, quod de Xeno-

Xenophonte laudavit Plutarchus in vita Artaxerſis, oculis intueri videamur? Permulta ſunt in iiſdem ſatyris, quæ ad res Romanas, non illas antiquas, ſed recentes pertinent, quæ haud intelligi poſſunt niſi ab iis, qui Romæ, & in Romanorum moribus diu ſunt verſati. Romanum quoque Pontificem INNOCENTIUM XII. ſæpe alloquitur Poeta, effertque ſummis laudibus ad cælum. Incidit aliquando in ipſum Sergardius inambulans in xyſtis Vaticanis. Cui Pontifex: *heus tu, adhuc Philodemum vexas Latinis ſatyris? Ita me Deus perdat*, reſpondit Sergardius, *ſiquid ejuſmodi conſcripſi. Macte virtute*, inquit Pontifex; *mihi quidem gratum ſi ſeverus, diligens, non tamen malevolus eſſe volueris judex, animadverſorque vitiorum*; & quod egere putavit, illum multa pecunia donavit. Atque ut iis ſatisfaciam, qui a me percunctantur, unde ſciam Sergardium auctorem fuiſſe ſatyrarum in Philodemum, hæc ſunt argumenta. Vidi ego quaſdam autographas illius epiſtolas ad intimos ſuos familiares, in quibus ſe Sectanum, Sectanique ſatyrarum ſcriptorem nominat. Servantur

vantur adhuc adverſaria, in quæ idem retulit illuſtres nonnullas ſententias, exquiſitoſque dicendi modos ex Horatio, Juvenale, & Perſio, quibus poſtea uſus eſt in contexendis ſatyris. Harum exemplar totum conſcriptum manu Sergardii Senis extat apud illius heredes; in eoque tam multa variata, auctaque, cum illud ipſum contuliſſem cum editis ſatyris ante an. MDCC. animadverti, ut viderer mihi alium Sectanum videre. Iſthæc profecto varietas nihil, aut parum admodum apparet, ſi cum eodem exemplari conferas octo priores ſatyras, quas an. MDCC. duobus voluminibus comprehenſas Amſtelodami edidit P. Antonianus, & locupletiſſimis commentariis illuſtravit. Cujus editionis quoniam a nobis mentio facta eſt, minime celandum putamus illam non Batavam, ſed Romanam eſſe, ejuſque, & commentariorum auctorem fuiſſe Paullum Maffejum Volaterranum, doctrina antiquitatis inſignem, & Sergardio conjunctiſſimum; &, quæ opus ornant, teſtimonia illuſtrium virorum de Sectano, compoſuiſſe ipſum Sergardium, ejuſque civem & familiarem Canonicum Joannem Bapti-

Baptiſtam Brancadorium, qui hæc amico ſuo; ex quo ego comperi, patefecit. Fortaſſe Maffejus in incœpto permanſiſſet edendi, illuſtrandique Sectani ſatyras, quod avidiſſime ab omnibus expectabatur, niſi inter eum, & Sergardium ſimultates ortæ fuiſſent. Poſſem quidem & alia in medium proferre argumenta, cur credam ſatyras in Philodemum conſcripſiſſe Sergardium: ſed prolatis contenti erimus. Non enim puto rem majoribus egere, niſi forte illud dubitationem affert, quod non parum abſint a perfectione ſatyrarum cetera, quæ reliquit, ſcripta Sergardius. Ac mihi quidem id conſideranti facile venit in mentem non defuiſſe homini illi ſocium, & adjutorem in conficiendis ſatyris, aut ſaltem prudentiſſimum cenſorem in iiſdem expoliendis. Etenim is minime recuſabat ut admoneretur, & amice doceretur; adeoque promptus erat, & exercitatus poeta, ut aliquando plures a perito notatos ſatyrarum locos ſtans pede in uno decies uſque variare potuerit. Hic poſtquam tertiam & decimam confecerat ſatyram, ecce audit tota Urbe ſparſum rumorem obiiſ-

ſe

ſe Sectanum. Obierat quidem per illos dies haud illitteratus Grammaticus quidam; huncque exagitatorem Philodemi fuiſſe tantummodo ex eo conjecturam faciebant homines, quod ille morti proximus quamplurima in ignem conjecerat ſcripta. Riſit vulgi ſermones Ludovicus, ex iiſque novæ condendæ ſatyræ, omnium quidem meo judicio pulcherrimæ, occaſionem ſumpſit, quam orditur ab occurſu Ligurini, qui viſum forte Sectanum ab inferis reducem curioſe interrogat, quæ aſpexerit apud Tartara, quid egerit, & quo felix tramite ab iis evaſerit. Has autem quatuordecim ſatyras primus in lucem edidit Triſo Bibliopola, Romanus an. MDCXCVI.: ediderunt & alii ſequentibus temporibus, cum earum numerum Poeta duabus auxiſſet, quarum poſtrema graviter de Triſone queritur, quod librum inſcio auctore impreſſum, & quidem mendoſiſſime, venderet. Extat & alia ſatyra a Sergardio conſcripta calamo & atramento temperato, quod tota ferme verſetur in tribuendis præconiis Summo Pontifici CLEMENTI XI. Nullum profecto locum prætermittebat Sergardius il-

lius

lius laudandi Pontificis virtute & doctrina ſpectata ampliſſimi, idque præſertim præſtitit in ea, quam de architectandi, pingendi, ſcalpendique artibus in Capitolio an. MDCCIII. habuit Etruſca oratione, & cum narrationem Etruſce pariter ſcripſit earum rerum, quas idem Pontifex non modica pecunia faciendas locavit ad ornamentum majoris aulæ, quæ in ædibus eſt Cancellariæ, ut vocant, Apoſtolicæ. Magna fortaſſe ſpes tenebat Sergardium, qui inter Romanos Præſules jamdiu adſcitus erat, ampliſſimis ſe decoratum iri honoribus ab eo Pontifice, quocum ab adoleſcentia ferme ſibi jucundiſſima fuerat amicitia, & qui litteras, litteratoſque viros impenſe amabat. Sed poſtquam extenuari in dies ſpem ſuam, & evaneſcere vidit, perfugium ac ſolatium rebus ſuis adverſis in Philoſophia, & in manſuetioribus muſis quæſivit. Cum fuiſſet curator operibus faciendis in Baſilica S. Petri, cujus erat Canonicus, equeſtrem ſtatuam in ejuſdem Baſilicæ porticu Carolo Magno ſtatuit, nonnullas aras tabulis emblemate vermiculato affabre elaboratis ornavit, aream ſilice ſtra-
wit

vit, & obeliſcum in eadem area collocatum columellis certo ordine diſpoſitis ſepſit. Sed poſtremum opus hoc incurrit in reprehenſiones intelligentium, eaque propter non modo vocibus, ſed etiam carminibus graviter vituperatus eſt Sergardius. Non eſt credibile quantum id doluerit homo gloriæ cupidiſſimus, quem tamen reminiſci oportebat illam Publii Syri ſententiam:

Ab alio expectes alteri quod feceris.

Et quidem vehemens adeo fuit in eo doloris ſenſus, ut nonnulli exiſtimaverint huic maxime tribuendam eſſe incommodam valetudinem, qua jam emerſerat, quaque iterum his temporibus tentari cæpit. Valetudini ut conſuleret Spoletum venit: Sed nihil ei melius factum eſt, ibique diem obiit ſupremum VII. id. Novembris an. MDCCXXVI. Sepultus eſt cum pompa funeris in majori Templo ejuſdem civitatis prope Sacellum S. Franciſci.

Q. SECTANI SATYRÆ in Philodemum cum notis variorum. Coloniæ 1698. *apud Joannem Selliba in* 8.

—— *Eædem ſatyræ numero auctæ, mendis purgatæ, & ſingulæ locupletiores; editio noviſſima &c. concinnante P. Antoniano. Amſtelodami apud Elzevirios* 1700. *vol.* 2. Minime prætereundum putamus ipſum Sergardium delineaſſe & in ære celaſſe Sapientiæ imaginem, quæ frontem ornat prioris voluminis. Nemo dubitare videtur inter Sectani opera numerandum eſſe librum, qui inſcribitur:

SATIRE DI SETTANO tradotte in terza Rima dallo ſteſſo Autore in Zurigo (falſo: nam Florentiæ liber typis impreſſus eſt) *a ſpeſe della compagnia l'an.* 1760. ſed ſi hanc interpretationem conferes cum Latinis ſatyris, profecto dubitabis, adeo ab his diſtat elegantia, vivido quodam ſpiritu, ceteriſque poeticis virtutibus, quibus eædem latinæ ſatyræ mirum in modum abundant.

ORATIO pro eligendo Summo Pontifice poſt obitum Innocentii XI habita in Baſilica Vaticana coram Sacro Collegio a Ludovico Sergardi Senenſi: Romæ 1689. *typis Jo: Jacobi Komarek.*

DISTINTA RELAZIONE della gran Sala della Cancellaria Apoſtolica ornata nel Pontificato della Santità di N. S. Papa Clemente XI. e aperta al pubblico il giorno 17. *Febbrajo* 1719. *In Roma* 1719. *preſſo Gio. Maria Salvioni.*

ORAZIONE di Monſignor Ludovico Sergardi Seneſe Referendario dell'una e l'altra Segnatura e Ponente della Sacra Conſulta, recitata in Campidoglio per l'Accademia dell'arti liberali l'anno 1703.

CARMEN ad Clementem XI. Extat in parte altera Carminum Arcadum, Romæ 1756.

Non deſunt qui arbitrantur Sergardium plurimum adjuvaſſe Cæſarem Gregorium Scottum Senenſem in concinando Carmine, quòd inſcribitur *Caſſianeidos.*

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

ERRATA	CORRIGE
pag. 2. lin. 14. habueris	habuiſti
p. 32. l. 19. Valentinum	Valentinianum
p. 58. l. 14. quaquaverſum	quoquoverſus
p. 82. l. 3. Fancinus	Facinus
p. 92. l. 1. tractamenti	*deme hanc vocem*
p. 142. l. 23. ſpeciebus	generibus
p. 144. l. 19. utriuſque	utriſque
p. 146. l. 14. 15. quodque	quod
ibid. l. 18. quoque	quodque
p. 153. l. 1. inſtituto	inſtituo
p. 163. l. 2. effatam	effectam
p. 170. l. ult. habiti	cœpti
p. 175. l. 21. quodcum	quocum
p. 180. l. 19. Religioſus ille	Religioſus ille vir
p. 198. l. 5. 7. Philoſorum	Philoſophorum
p. 204. l. 14. Comſius	Coſmus
p. 205. l. 15. ut	quin
p. 225. l. 10. Muſchembroekius; illud ipſum nobis,	Muſchembroekius illud ipſum notis
p. 226. l. 8. ordinavit	auxit
p. 230. l. 32. *Roberto*	*di Roberto*
p. 239. l. 6. contentur	conentur
p. 242. l. 18. Phiſophiæ	Philoſophiæ
p. 247. l. ult. rum	*deme* rum
p. 282. l. 10. & Æmilii	*deme* & Æmilii
p. 341. l. 19. & pro	ſed & pro
p. 345. l. 19. Parienſi	Pariſienſi
p. 348. l. 1. clientalem	clientelam
p. 358. l. 21. volumine uno	*deme* uno
p. 382. l. 20. & 21. cujus erat Canonicus	*Deme hæc verba*

Digitized by Google

00565285

Digitized by Google

K